



1533
PHILARETI.







209 **Philaretus** (Theophilus Protospatharius). De pulsuum scientia libellus. — **Theophili** celebris De exacta metrimentorum uesicae cognitione, commentariolus (= De urinis). Alb. Torino inter-

51754

PHILARETI MEDICI PRAESTANTISSIMI DE PULSUUM SCIENTIA LIbellus utilis & necessarius.

256

THEOPHILI CELEBRIS MEDICI DE EXACTA RE-trimentorum uesicæ cognitione, commentariolus.

ALBANO TORINO INTERPRETE.

BASILEAE EXCUDEBAT HENRICUS PETRUS.



CLARISSIMO DOMINO IOACHIMO SCHILLERO AB HERDEREN,

insigni, quum ratione, tum experimentis, medicinę Doctori, ALBANVS TORINVS S.



VLtipharijs sanè, quemadmodum, etiam si nullus admoneam, probius nosti, indicibus, solertes medici corporis ualitudinem, ægritudinumq́ genera scitè uenantur, Ioachime doctissime. Inter quos equidē duas (nam omnes referre longum) per Apollinem, fidas earum rerum exploratrices, nec adeò fallaces nuncias, numero: Exquisitam de cordis & arteriarum percussibus doctrinam, & exactam retrimenti uesicæ cognitionem. Quæ utraq; ad naturarum discrimen, & morborum species noscēdas utilissima et necessaria sunt. Quibus nisi medici ad prætentandum

iter Scipionis modò iugiter utãtur, peri culum eſt, ne hallucinantes, perinde atq; oculis capti, undiq; impingãt. Quod, ut eſt medicis turpiſſimum, ita eſt languen tibus nihil damnoſius, quoniã illi fru ſtrati, cum rubore ingenti turpiſſime in- terdum ædibus eijciuntur: hi ueró ſi non efferuntur, dolores tamẽ immenſos ſub eunt. Percuſſus quippe arteriarum prǽci pue caloris & algoris uim in ſpiritibus: Lotia uerò humorũ quantitatẽ & quali tatẽ, ſicuti alui retrimenta uentris conco ctiones, cruditatesq́;, detegunt. Pulſuum porrhò diſciplinã Philaretus hic noſter perluſtratis pluribus ac diuerſis medici- næ authoribus, quã alij uix multis uolu- minibus complexi ſunt, in ἐπιτομὴν rede git: Vbiq; quod erat exquiſitiſſimum & rei maximè neceſſariũ, apis more, decer- pens, adeò feliciter, ut ſpes ſit, piũ lecto- rem, artisq; medicæ tyronem, in hoc ar- gumenti genere haud ita multũ deſidera turũ. Galenus quippe medicorũ κορυφαῖος fermè, adamuſſim quidẽ, ſed pluribus li- bris quã pleriſq; liceat euoluere, & argu
tius

tius quàm possit à quouis intelligi, quũ per se sit difficilis de pulsibus tractatio scripsit, De urinarum uerò scientia Theophilus omniũ primus exactius disputare cœpit, & omnibus breuiter, quasi penicillo, suis (ut aiunt) coloribus graphice expressit. Nam qui ante ipsum floruerunt, de urinis negligẽter absq; omni ordine confusum quoddam & profundũ chaos tradiderunt, quemadmodum ipse in operis præfatione admonuit. Quantũ autem Actuarius qui palmam in eodẽ scribendi genere meruit, Theophilo debeat, liquidissime constabit ei qui utriusq; monumenta sedulo euoluerit. Sunt præterea inter huius nostræ scholæ ꝓfessores, oculati, si dijs placet, urinarũ spectatores, sed potissime triobolares quidã circumforanei Lotiarij, qui doctrinã de urinis tutiorem & promptiorem esse asserant, quod ea sub aspectum omnia ponat, quàm de pulsibus scientiã, quæ rem omnem tactui commisit, quasi facilius sit uisu quàm tactu iudicare. Ipse de percussibus disciplinã ut certiorẽ multo, ita

& difficiliorem iudico. Requirit enim ſyncerum intellectum, manus tenerrimi ſenſus, et attentiõem acutiſſimam, quæ, miſſa manu in carpum, motuum et quietum interualla, & ſpaciorum tempora, craſſitudinesq́ interuenientes, & cætera quæ ad eam rem ſpectant, amuſſatim metiantur. Vnde certiores corporis & ægritudinis notę, quã ex ſolius retrimenti ueſicæ contemplatione eliciuntur. Semper equidem extremam eſſe dementiam putaui, totum hominis habitudinem, omniáque morborũ genera uelle è lotio coniectari, poſt habita, quæ prior eſſe debet, quæ de pulſibus tractat ſcientia. Sed, ut ſummatim expediam, qui utramq́ diſciplinam de pulſu & lotio calluerit, eũ ad explorãda morbi iudicia, et præuidentiam, uel nihil, uel perparum certè fugerit, quemadmodũ illũ qui hac (in qua hodie ſola uulgus medicorum ſe exercet) ſcientia citra alterius, quæ in primis diſcenda erat, utitur, infiniti errores comitantur. Proinde hoſce in iuuentutis uſum utroſque libellos Latina oratione

in publicum ædere uisum est, unde quæ ad utriusque rem spectant, compendio hauriant, Et tuæ humanitati eam lucubratiunculã, cuius ipse fuisti ὡς ἐργοδιώκτης, nuncupare, utpote pulsus explorãdi & urinas contemplandi peritissimo. Vale ex animo chariss. Schillere, nullaq́ sit tibi dies μητρυιὰ, ἀλλὰ μητέρες πᾶσαι. Basileæ Idibus Martijs, anno XXXIII.

RERVM

MEMORABILIVM

quæ passim hoc libello continentur, index.

A

INDEX.

Lotiū

INDEX

S

T

V

Vrinarum

FINIS

Regula

Ortas [?] principijs attestantur na=
turam suorz principiorum sicut Arti
ucoi attestantur naturae affectionem
vel malam vel bonam sui principij
cordis vz;



PHILARETI MEDICI PRAESTANTISSIMI DE PVLSVVM SCIentia commentariolus per utilis & necessarius. Albano Torino Vitodurensi interprete.



QVi hactenus de pulsuum scientia posteris prodiderũt ei magna ex parte uel mancis tractatibus, uel exacte quidẽ, exornatoq́ scribendi artificio, sed prolixioribus certe logis rem ipsam explicauerunt. Nos uero contra, si non euigilata orationis concinnitate, summa tamen fide & diligentia mi raq́ breuitate (quo memoriæ, quæ docemus, haud difficulter inhæreãt) quæcunque de pulsibus scire fuerit necessarium in compendium redigere, & earum rerũ florem tanquam per capita conscribere suscepimus. Quocirca ubi in quinque parteis, quasique hypotheses omnem quæ ad perfectam pulsuum notitiam at

tinet

tinet tractationem diſpeſcerimus: Verbi gratia: in percuſſus finitionem, utilitatis eius commemorationem, arteriæ deſcriptionem, eiuſdem uocabuli etymon, & cauſſam, & ipſius denique inſtrumēti hoc eſt metæ ſpiritus originatiōem: Primum (diuina annuente uirgula) eam partem quæ de finitione percuſſus eſt, aggrediamur.

De percuſſus finitione *Caput* I.

QVó dilucidius intelligant ea quæ de pulſuum ſcientia hoc compendiolo explicare decreuimus, confeſtim ab exordio, quid ſit pulſus definiendum eſt. Percuſſus igitur ſiue, ut Græci dicūt, σφυγμὸς, cordis motus & arteiarum eſt, qui ſecundum diſparationem & contractionem (quarum hanc συστολὴν, illam διαστολὴν nuncupant Græci) ad refrigerandum inſitum feruorem, & diſcutiendum propulſandumque excrementa fumida, æditur. ſiue, ut ueteres Græcorum Medici quidam diffiniūt oratione Græca σφυγμός ἐστι διαστολὴ, καὶ συστολὴ ἀδιαίρετος ἀρτηρίας καὶ καρδίας. Hoc eſt: Percuſſus eſt intentio & remiſſio

Definitio Pulsus in genere

ſio indiuiſibilis arteriæ & cordis. Eſt autem διαςολὴ arteriæ ſublatio, dilatatioq́. Συςολὴ uero arteriæ ſubmiſſio & contractio.

De uſu percuſſuum arteriarum Cap. II.

FRuctus uero & opportunitas percuſſuum, duplex eſt, refrigerium ſcilicet natiui caloris per immiſſum ſpiritum, eiuſdemq́ per emiſſum hunc purgatio, ſuperfluitate ſcilicet ad fumi naturam prtoxime accedente profligata. In diaſtole enim, hoc eſt ſublatione arteriæ ſubſtantia quædam attrahitur. Explicata nanque arteria refrigerãs aer ingreditur qui refocillat uitalem firmitudinem, unde & animalis ſpiritibus oboritur. In ſyſtole, ideſt compræſſione conuenientibus ad cẽtrum extremis arteriæ, id quod ex humorum deuſtione in toto corpore tanquam fumoſum excrementũ contractum eſt, eliminatur & excernitur.

Quid arteria, quid uena. Caput III.

ARteria est corpus in longum porrectũ, teres instar canalis, ac sinuosum, διχίτωνα id est duabus tunicis contextũ ex corde propagatũ & in singula corporis membra distributim diffusum, aëris & spiritus naturalis abundantioris receptaculum, mixti cum pauculo admodum sanguine. Inest enim arterijs agitãdi facultas per disparationem & contractionem, quo inde cordis fumida euaporatio comparetur, & partibus cæteris spiritus infundatur. Vena uero spiritus uasculo similis sanguinis est receptaculum cum exiguo naturali spiritu confusi.

De ethymologia arteriæ. Caput IIII.

Ἀρτηρία secundum Etymologicos adpellata est παρὰ τὸ τὸν ἀέρα τηρεῖν quod est, si uerbatim interpreteris, ab eo quod seruet aërem ac spiritum naturalẽ, uitalẽmue. Aëris namq; ac spiritus (ceu diximus iam pridem) conceptaculum est in quo habundantior spiritus sanguinis

uero

uerò multò minus consistit.

Arteriarum, uenarumq; origo fontésue
Caput V.

ARteriarũ à leua cordis fibra, quæ adhorta adpellatˀ, bipartito ramo oriri certum est. Quorum alter quidem per cætera uiscera interna deorsum uersus duplici propagine in dextram & sinistram ad coxendices usque & pedes, digitosq; pedũ descendit. Alter uerò sursum uersus porrigitur, & itidem scissa in duos riuos propagine mox ad dextram & sinistram per brachia in palmas ac caput tendit, & is qui ad caput protenditˀ, constituit arterias ad interuallum aurium, quas Græcorum medici παρωτίδας cognominant. Qui uerò dextrã, sinistrámque intrinsecus perreptat, per alas ad brachia, & flexum brachij cobitosue ad extimos usque palmarum digitos peruenit. Cæterum in hoc commẽtariolo tam compendioso animus, est ad præsens, ictuum agitationẽ, & dignotiones eorũ & caussas deniq; strictim, summatimq; conscribere, & posteris tradere.

De percussuum mutationibus. Caput VI.

TRipharia in animalis corpore pulsus mutari solet generatim, (multiplicia enim sunt speciatim mutatiōis genera.) Prima nanque ipsorum mutatio ex caussa naturali fit. Secunda non naturalis quidem, sed nōdum præter naturam. Tertia præter naturam existit. Quemadmodum & ex marium & fœminarum, ætatibus. Præterea & cæteris id genus cōiugatis, mutationē subit. Mortaliū quippe genus (quod uel cæco perspicuū est) in mares dispescitur & fœminas, atque illorum sane, alij temperatura calidiore, alij uerò frigidioris temperamenti existunt. Et illi quidem graciliores natura, & macilentiores: Hi uero obesiores magisque corpulenti, siue carnosi sunt. Atque in uniuersum maribus semper lege naturę plus insiti tum caloris, tum roboris quam mulieribus inditum esse res ipsa declarat & clamitat.

Pulſus ſexuum.

VIri igitur pulſus magna ex parte non iniuria citatiores, maiores, longéque uehementiores ædunt. Fœminæ uero, ut frigidioris naturæ, tardiores, exiliores, & non parum languidiores, arteriarum ictus habent. In utriſque uero puta maribus ac fœminis pro temperamenti tenore plus minus intento, percuſſus quoque arteriarum plus minusue intenduntur.

Temperamentorum percuſſus.

CAlidiores enimuero natura pcuſſum uſque maiorem, citatiorem, & uehementiorem ædunt. Quoniam in calore ſemper promptior agilitas, & motus lõge citatior. Frigidiores cõtra, minorẽ, lentiorẽ & nõ adeò uehementẽ, ſiquidẽ in frigido ppetim quędã, ut ſic dixerim, eſt tarditas, egerrimaq; mobilitas

Pulſus habitudinum.

VTriſque porrho uiris inquam & mulieribus, alius atq; alius eſt, ut uidetur, corporis habitus. Verbi cauſſa, Macilentus & corpulentus,

In Macilentis gracilioribúsue percussus ædũtur maiores, longè rariores, & haud multò uehementiores. Corpulenti uerò minores, crebiores, et languidiores arteriarum percussus ædunt. Hoc itaq; modo percussus natura mutantur.

Percussus à circumstantijs.

RÉspicienda quoq; in pulsuum exacta dignotione & solicitius etiã obseruanda sunt coniugata circumstantię, uerbi caussa: Loci, tempora anni, ætates, & constitutiones particulares. De anni itaq; horis, super quibus præ cæteris disserere institui, ad hunc se modum habet.

Anni tempora quot.

ANni tempora quatuor in parteis à ueteribus distributa sunt. Ver scilicet, Aestatem, Autumnũ, & Hyemẽ. Quorum duo utiq;, Ver nempe, & Autumnus boni tẽperamenti. Cætera duo prauæ temperaturę, existunt.

Veris arteriarum percussus.

VEris itaq; et Autumni tempestate, cordis & arteriarum motus, ꝑpter temporum qualitatis temperiem magni

perue

peruehemẽtesq́ꝫ, si ad reliqua tẽpora con feras, non immerito æduntur. Celeritate uerò & frequẽtia mediocres, idq́ꝫ semper iuxta ætatem proportionem.

Aestatis percussus.

PEr Aestatem uerò citatiores æduntur percussus et crebriores, idq́ꝫ semper pro unaquaq́ꝫ ætate necessitatem inducente, propter ambientis nos extrorsum aëris calidum statum.

Hyemis percussus.

PEr hyemis uerò tempus animantia percussus habẽt lentos ac raros, propter aëris nos ambiẽtis frigidũ statũ & quæ inde conciliatur stricturam. Atq́ꝫ hunc in modum pulsus pro temporum ratione differunt.

Pulsus pro regionum uarietate.

IVxta regiones itidem pro uniuscuiusq́ꝫ loci temperamento arteriarum percussus mutantur. Calidior siquidẽ regio maiores, & citatiores arteriarum percussus, ceu Aestas, efficit. Frigidior contra, minores & lentiores, tanquã Hyemalibus horis, pulsus reddit.

Temperata uero regio perinde atq; Ver, magnos & uehementes arteriarum ictus ædit. Atque ita quidem iuxta regiones uariant.

Pulsus uarietas secundum aëris circumdantis nos constitutionem

ALij porrho aëris nos ambiẽtis status, haud aliter atque anni tempora pulsus uariant. Feruidi quidem, feruidis anni temporibus, gelidi, gelidis, medij, medijs, proportione respondent. Et ad hunc quidem modum aëris qualitates pulsus commutant.

Singularum ætatum percussus.

IAm oportunũ fuerit de ætatum quoque pulsuum mutationibus uerba facere. Si ætates aliquo inter se discrimine dissident, inter percussus quoque earum non nihil uariati discriminis intercedere consueuit.

Puerorum percussus.

PVerorum nanque, & recens in lucẽ æditorum infantum pulsus citatior est, crebrior item & languidus, Iuxta magnitudinem uero, & uehementiam

medius. Citatior autem eius ætatis pulſus fit, quoniam in ea ætate calor naturalis in ſubſtantia habundat. Crebrior eo quod caliditas in pueris iuxta quantitatem redundat. Languidus, propter ſubimbecillam eorum quaſiq; langueſcentem adhuc uirium potentiam.

Senum percuſſus.

SEnum uerò arteriarũ percuſſus è diuerſo Lentiores & multo rariores, ſi conferas ad pueros, exiſtunt, idq; ob eius ætatis uireis iam ex hauſtas, & imbecilles, & quod annis contraxerunt frigus.

Iuuenum percuſſus.

EI uero q intra hos conſiſtũt, hoc eſt florente ætate (Græci ἀκμαστικοὺς uocant,) pulſus maximos, & uehementiſſimos ædunt, propterea quod uiribus longè ualentioribus, quam uel pueri, uel ſenio confecti, præditi ſunt. Com pari modo & hominum temperamẽta & percuſſus arteriarũ, temporũ conſtitutionibus qualitatibusq; mutanẽ, ambiẽs etẽm nos qcũq; ſtatus & queẽadmodũ demonſtratum

monſtratum eſt, continens in ſuam tem peraturam transfert contentum. Ad hũc igitur modum pulſus pro ætatum ratione ſe habent.

Grauidarum mulierum percuſſus.

VTerum porrhò geſtantes fœminę percuſſus paruos, crebros, & citatos ædunt. Paruos quidem quod uires à conceptu non nihil moleſtatę deijciuntur. Crebri uerò & citati, propter angorem quo in uentre habentes tentantur, & propter fœtum conceptum.

Percuſſus laborantium in partu.

IN partu uerò maiores, crebriores, citatioresq́ redduntur pulſus. Cætera iuxta naturam ſeruant. Ita cõceptus, & partus pulſuum immutationẽ faciunt.

Percuſſus dormientium.

Somni quoq́, & ſi naturales, Arteriarum tamẽ motiones immutãt. Inter ſomnũ etenim percuſſus ſemp minores et languidores fiunt, idq́ ex euidẽti cauſſa. Quod uidelicet naturalis calor, extimis corporis partibus relictis, intimius penetrat, & altum tanquã centrum petit.

Percussus eorum qui expergiscuntur à somno.

QVi expergiscuntur à somno percussus à principio magnos quidē & uehementes, citatosq; & crebros parumq; turbulentos ædunt. Haud uero diu post mediocres, & iustam symmetriam obtinentes.

Percussus aliarum constitutionum.

Temperaturæ præterea corporis ascititiæ & acquisitæ naturalium morē pro re nata pulsuum immutatiōem constituunt. Nec aliter sanè & habitudines corporis acquisitæ, perinde atque naturales habitus, percussus immutant. Nam tenuis & macilentus si carnosus fiat siue corpulētus, percussum natura corpulentis obesisùe persimilem ædit. Sicōtra corpulentus gracilitatem contrahat, puta quū uel naturaliter corporis robur afficit uel seccūdum substantiam alicuius principis partis, uel alia nescio qua occasiōe eam molestante, percussum eundem habet quem is qui natura talis est. Hactenus de pulsibus secundum naturam.

De

De percußibus non naturalibus. Cap. VII.

OPortunum nunc fuerit de aliјs quoque pulſuum mutationibus ex cauſſis non naturalibus uocatis profi ciſcentibus. Verbi cauſa, exercitijs, bal neis, edulijs, multi uini, & aquæ itidem plurimæ potu, paucis diſſerere. Exercita tiones igitur moderatæ percuſſus reddũt magnos, citatos, uehementes & crebros: Immoderatæ & ſupra lãguentis uires, ſu ſceptæ, exiguos, & languidos pulſus cõ citant. Balneis calidis efficiuntur percuſ ſus magni, citati, crebri, & uehementes: Gelidis, exigui, lenti, rari & languidi. Cibaria copioſa reddunt percuſſus inæ quales & inordinatos Moderata, pulſus concitant magnos, uehementes, citatos & crebros. Inedia minus quàm modera ta eduliapulſum uariat. Vini potus iuxta ciborũ rationẽ percuſſum euariãt, aqua itidem perinde atq; edulia inæquales & inordinatos percuſſus concitat. Cætera cuncta eatenus percuſſum arteriarũ eua riant, quatenus alunt, uel calfaciunt uel refrigerant. Hunc in modũ in cauſis nõ

natu

naturalibus uocatis motuum arteriarum mutationes fiunt.

De mutatione pulsuum ex causis præter naturam

Percussuũ ex causis præter naturam mutatiões haud aliter atq; prædictorum euariationes considerãdæ sunt. Vocantur aũt caussæ, siue res præter naturã, morbus & symptoma & immoderata oĩa Breuiter enim scire oportet quod naturaliũ caussarũ quælibet & earũ quæ nõ naturales dicũtur, si immoderate fiunt, secũdum quantitatem excessus in id quod præter naturam est, transit.

Quæ contemplanda sint in pulsuum obseruatione & notitia Caput VIII.

QVoties igitur laborantem quẽ antea nunquam oculis usurpasti (& proinde albus an ater, ut aiunt, sit ignoras) primum inuisis, immittisq; manum in carpum, principio sexum acuratius solicitiusq; tecum reputa, masne sit an mulier: Si mas cõsidera maris curiose percussum: Sin mulier, muliebrem arteriarum motum.

Mox ægrotantis quoq; naturam perpen de pariter & ætatem: Deinde tempus an ni & regionem factaq; omnium diligen tissima collatione, conijce cuiusmodi nã fuerit necessario in prospera ualetudine arteriarum percussus. Tum utique ada mussim facile depræhendes mutationis percussus præter naturam factæ quanti tatem.

De pulsuum generibus Caput IX.

HAbentur autem percussuum gene ra decem quorum primum genus secundum quantitatem diastoles in oẽm dimensionem considerare expedit. Sunt autem totius corporis arteriæ dimensio nes tres. In longum scilicet altum, & la tum. Haud absurde igitur quicunque tri na distinctione pariter secundum longi tudinẽ, latitudinẽ & altitudinem mediũ modum excedit, Magnus adpellatur. Di cunt itaque in finitione, Magnum pul sum esse qui triplici dimensiõe similiter sit insigniter auctus.

De

De secundo pulsuum genere.

ALterum genus percussuum secun dum quantitatem motus arteriæ in diastole & systole id est disparatione & contractione consideratur. Habẽtur autem nõnullæ huius generis pulsus di/uersitates: Quoniam est & cicatus, & len tus, & mediocris. Est uero citatus, qui ar teria momẽto dilatata quatit. Lẽtus qui longo temporis spacio modica interca/pedine mouetur. Mediocris qui mediũ ad unguem obtinet.

De tertio pulsuum genere

TErtium uero percussuum genus se cundum robur uirtutis æditur, idq́ triplici differentia. Nã est aut uehemens, aut lãguidus, aut medius. Crebritas nan que siue frequentia, quotiens magnitu/dinem accipit, pulsum uehementem ac ualidum reddit. Quum enim uirtus ma xime regnat, pulsus uehementior effici/tur, atq; è diuerso. Est autem pulsus ue/hemens, quãdo tangentis manus ualide repellitur. Languidus qui inualide imbe cillũ ictũ ædit. Mediocris uero qui mediã

ſeruat proportionem ad utrunque q uſ naturalis dicitur.

De quarto pulſuum genere.

QVartum percuſſuum genus eſt, quod in cõſtitutione organi, nem pe arteriæ, uerſatur. Sunt uero huius quo que generis differentiæ tres: nam inſtru mento rigidiore quàm natura exigat, pul ſus redditur durus, ſiue aſper: Eodem au tem molliore, à mollicie nomen ſortitur pulſus, & uocitatur mollis: medium in ter duritiam & molliciem quodammo do obtinente, moderatus ſeu mediocris efficitur.

De quinto pulſuum genere.

PErcuſſuum genus in ordine quintũ ſecundum quietis quantitatem per penditur. In quo creber præcipue & ra rus conſiderandus eſt Punctũ enim tẽ poris quietis crebrum, longius uero tem pus intercalatum rarum pulſum efficit.

De ſexto pulſuum genere.

SEcundum æqualitatem & inæquali tatem ſextum cenſetur in ordine per cuſſuum genus. Obſeruatur aũt id quũ in uno tum in pluribus percuſſibus, q̃d

Siſte

ſiſtematicon uocatur. In uno quidẽ, ceu in caprizante: In pluribus uero conſiſtẽs uocatur inæqualitas. Cæterũ in una qua que inæqualitate inordinationẽ fieri oporter, quemadmodum in omnibus, quoniam arteriæ ictus uel decidit uel intercidit. Id quod ſolet uiribus aliqua ex cauſſa deiectis accidere.

De ſeptimo pulſuum genere.

SEptimum genus percuſſuum ſecundum plenam ordinationem, inordinationemque efficitur:
Inciſo namque inæquali, percuſſus æqualis fit. Inæqualis uero ſecundũ periodos inordinatus. Contemplatur autem quũ in uno arteriarũ motu, tum in pluribus.

De octauo pulſuum genere.

SEcundum plenum ac uacuum hoc eſt pro arteriæ figura & repletionis quantitate octauũ genus pulſuũ conſideratur, ſingula nanque uaſcula uel plena uel uacua cenſentur. Eſt igitur plenus qui arteriã oſtẽdit ſolidiorẽ, undoſamque eius in humore cõpreſſionẽ. Vacuus uero qui arteriæ excitationẽ bullientẽ facit, ita ut ſub digito inanitatem fateatur.

De nono pulſuum genere.

NOnũ genus percuſſum ꝑ rhythmũ fit, in quo temporis proportiones ad tempus metiuntur. E qua re pulſus deficientes & intercidentes depræhendũtur. Eſt uero deficiens pulſus, inquit Galenus, in quo non ad binos modò, ſed ternos pluresue percuſſus immobilis perſiſtit arteria. Intercidens autem quũ poſt duos ictus, peculiari ordine motio fit, unde media intercidit percuſſio.

De decimo pulſuum genere.

QVoniam autem calor qui in corde continetur per uniuerſum arteriæ corpus diffunditur inibiq́ꝫ euidentius apparet. Decimum quoque percuſſuũ genus prædictis annumerant. In quo utiq́ꝫ per tactum materiæ quæ ſubeſt corpori qualitas perpenditur, uerbi cauſſa, male temperata & mordax.

Summa decem generum pulſuum.

COnſideratẽ igitẽ in pulſuum generibus, quantitas, motio lõgitudinis, uirtus, qualitas, motus ſpiſſitudinis, æqualitas, ordinatio, plenitudo, concor-

dia

dia rhythmusúe & calor. Deinceps memorandum nobis uidetur, quænam ſint percuſſuum cauſſę & differentiæ.

De cauſsis & differentijs pulſuum Caput XI.

ENumeratis iam decem percuſſuũ generibus cauſſas eorundẽ aliquas cum differentijs ſuis, tribus, quod aiunt, uerbis deinceps perſtringemus. Nam ſi quis exactam harum rerũ noticiam haurire deſideret, is ſedecim de pulſuum negocio uolumina exarata non ignoret, quę cõſulenda arbitror. Nos uero breuitatis ſtudioſi, cum delectu modum ſeruantes ſummam rei, certe neceſſariæ in arctum redigere, & tanquam per capita differentias aliquot cauſſasq́ pulſuum recenſere inſtituimus.

Quæ motus arteriarum cauſſæ.

FEriunt humani corporis arterię, ad temperati caloris, cũ in corde, cum in cęteris partibus corporis tutelam.

Saltus ac percuſſus diſcrimen.

SAltus & percuſſus hoc dirimuntur diſcrimine, Quod ſaltus, propter in-

cidentem spiritum toto corpore æditur. Percussus uero per functiones spiritalis potentiæ in solis arterijs concitatur.

Pulsus magni & uehementis differentia.

PErcussus magnus à uehemente hoc dissidet, quod magnus arteria in lõgum, latum & profundum dilatata, tribus dimensionibus perpenditur. Vehemens uero motu, (ualde nanque ferit) proinde uirium robur portendit.

Pulsus crebri & citati differentiæ.

DIssidium inter percussum crebrũ, & citatum, in continuo consistit atque discreto. Creber enim arteria non nisi momento quiescente quasi cõtinuus est. Citatus uero quum arteria modico tempore dilatata fiat, discretus: Perinde atque si quis ocyssime uolet ac subsistat.

Pulsus rari segnisq; discrimen.

PErcussus rarus & tardus hoc dissidio dirimuntur. Quod rarus longiore quietis spacio interposito, imbecillitatis index est, ex infirmiore nanque robore pro

proficiſcit̃, & proinde plus ancipitis habet diſcriminis: Lentus uero ex ſolo caloris defectu naſci ſolet. Rarus autem uires maxime deiectas ſignificat.

Quot nam in diſparatione fiant pulſuum differentiæ.

PErcuſſuum ſecundũ diaſtolen, hoc eſt dilatationem arteriæ, octo ſunt diſſidẽtes ſpecies. Puta magnitudo, paruitas, uehementia, remiſſio, celeritas, tarditas, duricia & mollicies.

Quî nam & quot pulſuum ſint indices

IUdicium pulſus in duobus, ſenſu uidelicet & intellectu ſitum eſt. Senſus enim præſentia iudicat. Intellectus uero præterita & futura.

Effectrices pulſus cauſſæ quot ſint.

PVlſuum arteriarũ effectrices cauſſæ tres ſunt, Virtus nempe quæ corpus mouet ſpiritus ſemitæ. Et utilitas

 propter

propter quam mouetur, & instrumentũ obtemperans.

Quid potißimè pulsus significet.

PVlsus arteriarum primũ & omniũ maxime uim caliditatis, frigiditatisq; in spiritibus indicant.

Quot modis consideretur pulsus moderatus uel immoderatus.

PErpenditur pulsus quũ moderatus tum immoderatus, quadrifariã, iuxta nempe magnitudinẽ, celeritatẽ, uehementiam & secundum crebritatem.

Qui ab inordinato percussus dißideat pulsus inæqualis.

DIfferunt inter se pulsus inæqualis. & inordinatus. Quoniã inæqualis in uno pcussu fit, & ceu, demonstratũ est pridẽ, in pluribus quoq; cõsistit. Vel enim in una modo disparatione, uel in plurimis cõgregatis. Nuncupatũ uero eadem inæqualitas consistens in multitudine pulsuũ considerata. Inordinatus autẽ pulsus fit secundum rhythmon. Veluti si treis magnas percussiones & unam exiguam, comitantur duæ ingentes. Est autem

tem Rhythmus ordo & lex temporũ, in quibus ſpirituum canales inſurgunt & concidunt.

Quid diſsideant ab Intercidentibus pulſus, Deficientes.

PVlſus Deficiens & Intercidens nõ nullo ſane dirimunt inter ſe diſcrimine: eo q̊d Deficiẽs ex maiore uiriũ imbecillitate oritur, & in eo interdũ omni motione amiſſa, immobilis permanet arteria & maius detrimentũ indicat, extremum nempe potẽtię lapſum. Intercidẽs uero pugnante & reſiſtente corporis uiribus, ſeipſas excitantibus ſua ſponte ad repellendũ contraria, & minus detrimentum arguunt.

Diſcrimen inter pulſum Spaſmoden & Ramoſum quaſſabundúmue.

PVlſus σπασμώδης & κλωνώδης quoq; inter ſe differũt: Quia ille uaſculũ ſpiritus ad fidis tentę inſtar extendit: Hic uero dextrorſum, ſiniſtrorſumq́; transfert.

Qui nam fiant ictus fluctuantes.

PErcuſſus fluctuantes fiunt ex habundanti humore contento, ſemi

tam ſpiritus diducente, pindeq́ꝫ in aqua inter cutẽ quã ὑποσάρκην cognominant.

Quo diſtent inter ſe Dicrotus & Caprizans.

PErcuſſus qui à bis feriẽdo δικρότος id eſt bis pulſans uocat̃, & δορκαδίζων hoc eſt Caprizanze, hoc inter ſe differunt, quod hic inſurgendo & extollendo, ſed aliquantulum inrercíſu s: deinde citatus differentes motus efficit. Ceu caprea, à Græcis δορκὰς adpellata, quæ ſaliens hæret pedibus ſublimis in aëre, & alterum ſubitum longè citatiorem ſaltum perpetrat. Editur autem is pulſus uiribus humani corporis angore preſſis, & moleſta quapiã cauſſa oneratis. Dierotus uero bis quidem una pcuſſione pulſat, ſed impari celeritate: incipiens enim citatior, deſinens uero tardior eſt. Fit autem talis propter duriciem inſtrumenti feriente, & iterum uiolenter reuerberante ſpiritu ſecundum ictum abſoluit, quẽadmodum in incudibus mallei percuſſionem reciprocant.

Quo

Quo distet ab formicante uermicularis percussus.

PErcussus σκωληκίζων, id est uermicularis a formicãte (qui Græce μυρμηκίζων uocatur) eo distat. Quod uermicularis quidem quandoq; conuertitur, demutaturq; in melius & amplius eius patet inæqualitas. Formicans uero uirtute deiecta & prorsum inter mortua æditus, & interitum prænunciat. Atq; hæc quidem in præsentia de simplici cordis & arteriarum motu paucissimis perstrinxisse sufficiat

Commentarij Philareti de pulsuum cognitione Finis.

THEOPHILI CELEBRIS MEDICI DE EXACTA RETRIMENTORUM uesicæ cognitione uolumen, Per Albanum Torinum Vitodurensem Latinitate Donatum.



Riſcos aliquot multos circa medicinæ ſtudia mire uigilantes, & citra controuerſiam doctiſſimos de urinarum differentijs negocium aggreſſos eſſe liquidiſſimè cõſtat. Quorum omnium Αλφα & Ω Hippocrates Chous, cuius monimẽtis ſacro ſanctis præcipue inſudamus, princeps extitit. Poſt hunc Galenus uniuerſo orbi terrarum autor ſuſpiciendus eandẽ diſputationẽ ad retrimenta ueſicæ ſpectantẽ, ſcribẽdi ꝓuinciã ſuſcepit, Ab hoc Magnus medicus σοφιϛὴς i. uir ſapiẽs De urinarum ꝓprietate dinoſcenda, præcepta poſteris reliq̃t ſpecioſa. Quos ſane, ob multas res mortaliũ utilitatẽ inuẽtas, egregijs ſummisq;

misq; laudibus certatim extollere, ne de os facere dicam conuenit, & si neminem ex his rem totam, ut par fuit, attigisse, sed inchoatam modo, & mancam de urinis disputationem reliquisse (multis scitu necessarijs præteritis) compertum sit. Hippocrates nanque Chous circa has res inuigilans, parua quædam certe speciosa quasiq; florem huius negotij passim obiter modo attigit: Neque urinarũ genera, neq; species, neq; differẽtias, neq; caussas neque iudiciũ ac præuidentias dispositionum futurarum præter naturã, uel sanorum corporum, uel ancipitum ægrimoniarum, neque alia multa, quæ numeris omnibus exacta disputatio poscere uidetur, adamussim absoluit. Compari modo & Galeno quoque Pergamensi, in eo quem ϖερὶ κρίσεος inscripsit libello, ubi res quæ ad urinæ disciplinã spectant carptim tractat, nescio quonam pacto paruæ curæ fuit de hac re non curiosius solicitiusq; disputare, bonam nanque negotij portionem, uel omnino intactam, uel inchoatam saltem, uel parum denique

enucle

enucleatam de urinis, siue genus, siue species, siue differentias consideres, disciplinam reliquit: post hos deinde longo temporis tractu magnus medicus atq; philosophus ratiõe quidem, sed sine periculis usu (quæ mater artium existit) obseruatis, scientiam de urinis posteris tradere, aggressus est. Haud absurda sane distributiõe de lotijs disciplinã auspicãs, de eorũ differẽtijs, & speciebus plus quiddã aliis scripsisse uidetur. De præuidentijs uero & augurijs præsagijs q; (τὰ προγνωστικὰ Græci uocant) quæ ex urinis sumuntur, pluribus omissis, claudam & ipsus quoque de lotijs artem tradidit, adeò quidem ut ad perfectã earũ rerũ cognitionem, à posteris medicæ rei studiosis sectatoribus millia desiderentur, sese extricare nõ potentes, absolutiorem eius rei scientiam indagare coguntur. Neque id, mea quidem sententia, temere, quoniam ex ea nasutus quisque ac solers medicus rectè di iudicare, & præuidere, quasiq; diuinare, et ex euidentib us res abditas, abstrusasq; coniectura quadam assequi ad unguem

potest

potest, siquidē exacta urinarū cognitio, scitaq́ȝ inspectio, abditas quasq́ȝ & affe-ctas corporis sedes, tanquā in tabula, ex-hibet, & temperamentū & dispositionē uniuscuiusq́ȝ, naturalis ne sit, an nō na-turalis quidē, sed nondū cōtra naturā, an præter naturā deniq́ȝ. Naturæ etenim suæ aptitudine acuratus urinarū et solers intu itus, tam certus, quā Apollinis (ut sic di-xerim) oraculum est nuncius eius quæ in iocinore existit, uirtutis effectiuæ san guinis, q̊modo libera sua functiōe præpe ditæ. Quocirca neutiquā, meo quidē iu dicio, absurdū fuerit, neq́ȝ importunū, eti am si ipsius laborē pro uirili meo, redden di disputationē, exactā omnibus nume-ris de urinis suscepturus, quēadmodum in arduis rebus fieri solēne est, numē in plorauero. Inuoco itaq́ȝ Christum Do minum nostrum uerum & unicum opi tulatorē cunctarūque rerum liberalissi-mū largitorem, ope sua, ductuque suo di gnet adesse conatibus nostris, q̊ hæc no stra lucubratio dignitatē exactissime de

urina

na diſputationis aſſequi & indipiſci poſſit, quamobrem ut promptius uoti reddantur cōpotes, ea ratione agamus. Primum omniū à Lotij finitione ſumemus exordium: Poſthæc de generatione Vrinæ: mox in quem locum excernatur, & ubi fiat eius liquoris ſequeſtratio, docebimus. Ab his poſtremo ad eruendam urinarum abſolutam doctrinam in genera, ac ſpecies & differentias diſputationem, (diuino ſuffragante auxilio) diſtribuemus.

De finitione nominis Lotij.

Caput I.

LOtium eſt ſanguinis aliorumq; humorum colatura, æſtusue: uel ut alij quidā uocauere, ſerea quædam redundantia, quam nōulli dilutam & aqueam indigitant. Neq; deſunt qui Lotium ſaniem ſanguinis eſſe contendant. Verum de nomine nolim equidem in præſens ullam mouere controuerſiam.

De generatione Lotij Caput II.

SImum in iocinoris partem uena σιμικία à Græcis, Ramalis uero Rhomanis uulgo adpellata, dispersim preptat. Quæ sortita est uirtutem effectiuam sanguinis à conditrice natura. Vbi inter apparatum sanguinis, serum eius, hoc est lotiũ, quoque generatur. Est uero ortus eius huiusmodi, ubi iam in hepate uis sanguinis effectiua suo munere probè functa chilũ susceptum in sanguinem alterauerit, facta eius humoris commotione turbáue, quicquid illic subtile & facile transiens fuerit, est autem id flauæ bilis quædam superfluitas innata, id omne sursum, quia leue, petens, in sublime eleuatum a folliculo flauæ bilis χολιδόχω à Græcis uocato (qui ad gibbum iecoris iacet) per propinquum meatum excipitur, & ad aliquam, nimirum, utilitatẽ attrahitur. Si quid uero subest terrestris & feculenti humoris, id ipsum lien, qui è regione adiacet, per suum meaculũ exugit, naturalibus quibusdam tractiõibus singulis id quod peculiare existit emulgẽtibus, tertiũ porrho

ac qui dilutus serosus humor est, cũ sanguine, nõdũ sequestratus, relinquit: hũc renes tandẽ per uenã Græcè κοίλην Latine Cauam adpellatã, attrahũt, & in urinã cõ parant. Quæsierit aũt hic haud absurdè quispiã: Numquid quemadmodũ chole dochus hoc est biliosa uessicula, bileum humorẽ, & liẽ atrã bilẽ sanguinis περιττώματα idest superflua ex simis iocinoris partibus per suos meatus emulgũt. Ita & renes quoq; lumbiue huic uisceri adiacentes dilutũ humorem, & aqueũ superfluũ attrahẽdo ex eodẽ loco, suscipiũt: Respõdemus humorem hunc non ocyus à sanguine sequestrari, sed magnæ oportunitatis caussa ad maius uidelicet opus indiscretum à natura seruari. Ramalis nanq; uena sanguinis, ut diximus, effectrix in simo iocinoris loco sita, uenæ cauæ adpellatæ extrà huius conuexo adiacenti per teretes & staminosos quospiã, angustosq; meaculos suggerit. Quum igitur & ratione & sensu compertum sit sanguinem

crassioris

craſſioris eſſe ſub ſtantiæ, atq; ad pene-
trandum uenulas præpeditas, aſtguſtio-
resq; uias, ſine impedimento ineptum,
opus habuit comite ſeroſa redundantia,
facile tranſeunte. In hoc itaque natura ſa
gax, iſtum liquorem indiſcretum obti-
nuit, ut tenuitate ſerei ſuperflui, facile
cum ipſa ſanguis in κοίλην hoc eſt, ſinua-
tam ac concauam uenam dilaberetur.
Vbi uero eadem ſuperfluitas cum in ra-
mum uenæ cauæ quæ ſpinæ dorſi incum
bit & à ſummo deorſum progreditur, in
renumq; oppoſito in duplicem propagi
nem ſcinditur in Λ Græcæ literæ figu-
ram, quarum altera ad renem dextrum,
altera ad leuum fertur, per quos meatus
à grandiore & concaua uena aquoſum
ſuperfluum in ſinus renum deriuatur,
fuerit intruſa, excipientes ipſam renes,
bella metamorphoſi in lotij ſubſtantiã
tranſmutãt, & per urinæ uias quas Græ
ci οὐρητῆρας dicunt, in ueſicam quæ lotij re
ceptaculũ eſt, & ab eadẽ gente κίση uocatꝰ

 inſtillare

instillare compellunt. Ac si sanguen syncærum & ad unguem absolutum fuerit (quod per exactum concoctionis officiũ contingit) necessum est & recrementum eius etiam esse huiusmodi. Sin sanguinis effectiua uirtus a sua functione per occasionem quampiam præpedita, frustetur, Id genus serosa superfluitas euadit, quã Græci οὖρον, Rhomani urinam ac Lotium adpellant. Cuius etiam rei gratia interdũ lotia tenuissima, candidaq; apparent, interdum uero cum albo colore crassa. Crudiore euadente sanguine & imperfecto, effectrice facultate sanguinis iacẽte, & cõcoctiõe facta ueluti crudiore. Vbi autem sanguineus humor plus satis torrẽfit ac feruet, cõsimilem quoq; superfluitatem efficit. Proinde ex illiusmodi caussarum generibus lotiorum etiam species in alias atq; alias identidem constitutiones facies q; commutantur. Ante omnia igitur cuiusmodi esse oporteat lotium naturale, quod sanguinis ad unguem facti comes est, differere instituimus. Inculpatũ que principio lotium, quod naturæ leges nullo

nullo exceſſu ſuperat, neq; uel latum unguem deficit, & ob id naturale uocatur, finitione explicabimus. Inde cognoſcetur facilè excedens uel deficiens neutiquam ſanum, ſed illegittimũ & præter naturã eſſe. Eſt itaq; naturalis urinæ diffinitio eiuſmodi.

Notæ & finitio urinæ ſecundum naturã & optimæ Caput III.

Lotium ergo ſecũdum naturã optimum eſt, conditionibus omnibus, quę ſapientiſſimus Hippocratus deſiderat, pręditum: definit autem is pulcherrimè illud, præſagiorũ ſecũdo, quũ inquit, τὸ δὲ οὖρον ἄριςον ἐςι, ὅταν εἴη λευκή τε ἡ ὑπόςασις, καὶ λείη, καὶ ὁμαλὴ ἐπὶ πάντα τὸν χρόνον. Hoc eſt, urina illa inculpatilis eſt, in qua reſidet, candidum, leue, & æquale per omne tempus. Liquet autem definitionẽ numeris ſuis tum demũ conſtare, ſi conſequatur, cum ſubſtantia mediocri & colore decenti, & contenta ſuum locum obtinent. Ad hunc ſcilicet modum: Lotiũ præcellens & omnium optimum eſt ſub

ſtantia mediocri, ſedimento (quã ὑπόστασιν Græci nuncupant) candido, & leui, & æquabili, colore rutilum & ſubigneum (ſiue fuluum ſubfuluumq; dicere ma-uis,) quod aliquãtulum flaueſcat ob ful gorem, idq; per longum morbi decur-ſum, obtinebit. Galeno quoq; ĩ hiſce ſtu dijs uehemẽti teſte Vrina colore ſubru-tilo ſubfuluoue, & ſubflauo, hoc eſt, re-miſſæ rubedinis (ſi reliquæ bonitatis con ditiones non deſint) ceu inculpatilis ꝓ-batur. Sed Magnus Sophiſtes ac medi-cus colorem fuluum ignitumue, & ſub fuluum ſubrutilumue optimum eſſe cõ tendit. Nos uero optimum id ducimus lotium, quod inter utrumq; medium lo-cum & contemperantiã obtinet. Quod-cunque uero ſecundum aliquot horum quatuor plus æquo exuperat: Vel ſi quic quam iſtorum defecerit, uel ab his quo-modocunq; immutatur, id non naturale ſed illegittimum adpellamus. Cæterum ſuper coloribus & ſedementis non eſt narrandi locus, ſed non multo poſt de ijſdem ſermonem faciemus. De ſubſtan

tia

tia uero in præsens differemus.

De differentijs substantiarum ipsius urinæ Caput IIII.

OPportunum esse puto hic de fluorum profusionúmue differētijs disputare. Eo quod quæuis urina, sua essentia profusio existit, aut constitutio. Substantia nanq; urinæ aliud nihil quā humiditas est, quam pleriq; circa has res sapientissimis medicæ artis ꝓfessoribus, profusionē, humorēq; corporis nuncupare uisum est, quoniam quicquid in uisceribus alijsúe partibus effundit in eadem ab oculato spectat, uerbi caussa, biles & sanguis. Sunt autem eiusmodi constitutionis substātieq; principes differentiæ nimirum duæ, tenuitas & crassitudo & ex utrisq; cōstans mediocritas & temperata consistentia. Temperatæ autem & mediocris cōstitutionis lotium secundum naturā existēs, nō dispescit. Quod uero tenuat, scindit bifariā. Vel em̄ subtili substātia meijt, & subtilis ꝑsistit, aut mingit quidē subtile, sed inde turbescit, lutulētūq; reddit et crassescit. Verū illud

quã hoc (quoniã extreme incoquibile) exactius concoctionis officium præfert. Turbidum uero effectum & incrassatũ cõcoctionis initium portendit. Eodem modo crasesscẽtiũ duæ sunt species, Aut em̃ mincta crassa existit urina, & indiscreta, ut a principio erat, ita manet, uel meitur quidem crassior: crassitudine uero tota infunditur listẽdo concedente, subtilis efficitur. Ac prima quidem quũ spectatur, uehementem humorum perturbationem in corpore, & firmitudinem uacillari. Altera uero turbilentiã quidẽ eiusmodi dispesci, sed uirtutis sanguei humoris effectricis coquendi officium resuscitari, clare significat. Copulemus itaq; cum colore substãtiam & diffiniemus, quæ ex ijsdem ipsis temperamenti corporis notæ: Quum in hominibus secundũ natura, tum quomodolibet præter naturam habentibus. Quoniam autem candidus color reliquos colores, albis quod aiunt equis dignitate præcedit, & subtilis substantiarum cæteras anteit, cum constitutione qualitates collocabimus

mus

mus tanquã sub unum iugum primitus subtilis essentia & candidi coloris urinã, ac dicamus quot modis albus & tenuis calor intelligatur.

De iudicijs e subtili & candido lotio, uel tenuis substantiæ & albi coloris

Caput V.

LOtium igitur subtilis essentiæ albiq; coloris plurima portendit. Nã si in mortalibus nulla præter naturam affectione constitutis extrema cum tenuitate & candore lotium appareat, prælargam ingurgitationẽ meri, cũ ꝓlixis edulijs pariter ꝑtermodũ coniunctã ostẽdit, & precipue quũ uinum fuerit exile & leue. Lotiũ huius generis à pueris mictũ, ut improbũ uituperandum est. Dicente Diuĩo Hippocrate τοῖσι παιδὶοισι τὰ ὑδατώδεα κάκιστα, hoc est, In pueris lotiũ tenue & dilutũ deterrimũ est. Non dissimilis substantiæ & coloris urina spectatur in senectute per naturam accidente, & in appellata à claris, prudentibusq; medicis senectute ab ægritudine diuturna & præ se fert uniuersalem imbecillitatem uirium.

Lotium prætereá tenue albumq́ quod ampliore copia & cõfertim ꝓfluxit eam affectionem quæ Græcis διαβήτης nuncupatꝰ, Latini per circuitionẽ exuperãs urinę profluuium adpellant, Sapiẽtum quidam pæonię artis artificum matellę inter cutem uocitarunt, & præstãtes quidam medici, lotij διάρροιαν, nonnulli uero celeberrimi à siti quam parit extra modũ διψακόν. Portendit hominis contra naturã affecti calidæ distemperantiæ renũ ægritudinem, quorum uehementissimo attractu necessum est eiusmodi urinarum uim prouenire, & sine tinctura percurrere siue transire, nam hoc est, διαβαίνειν unde διαβήτης deducitur. Lotium tenue insuper & candidũ, cõfertim emictũ, in febribus cotidianis Amphemerinisúe, remissiõem morbi ab huiusmodi humore significat. Similem quoq́ urinã albam puta & tenuem est cernere, in iocinoris intemperię contra naturã frigidi. Quin etiã easdem substantias efficere comperiuntur, præfarctæ & occlusæ meatuũ ob structi-

ſtructiones quas Græci ἐμφράξεις nominant, Itidem In renũ morbo quæ νεφρῖτις Græce uocatur, & in quartanarum febrium princicipio. Spectatur etiam tenuis & candidæ ſubſtantiæ lotium in Aqua inter cutem, propter abundantem humorum cauſſam, euadere. Lotium porrho tenue & album in uitijs & ægrimonijs colli, capitis item & humerorum σκοτομίαν, hoc eſt uertiginem, & λειποθυμίαν quod eſt animi deliquium ſignificat. (Vbi notandum eſt quod Græci σημαίνειν portendere quũ futurũ tũ prę teritũ declarat, Verbi gratia, apud Hippocratem in hoc oraculo:

ἱδρὼς πολὺς ἐξ ὕπνου ἄνευ τινὸς αἰτίης ἑτέρης γενόμενος τῷ σώματι, σημαίνει, ὅτι πλείονι τροφῇ χρέεται, ἢν δὲ τροφὴν μὴ λαμβάνοντι τοῦτο γίνηται, σημαίνει ὅτι κενώσιος δεῖται τὰ σώματα. Quod eſt ſudor multus ſub ſomno citra euidentem aliam occaſionẽ promanãs, corpus

nimio

In affectib capitis, colli & humerorum

nimio cibo uti, prę se fert. Quod si quũ cibum quis non sumpserit, hoc fiat, euacuanda esse corpora docet.) Lotium tenuis & albę essentiæ in febribus ancipitibus superueniens quietem indicat, morbumq́ deficere. Lotiũ eiusdem cum coloris, tum essentiæ circa remissionẽ ac terminum grauissimarũ febrium morbi discessionẽ, & quasi transmigrationẽ futuram in eas partes quę renibus subiacẽt.

Lotiũ subtile cum colore candido in ea febre cui ab ingẽti ardore, nomẽ inditum est καῦσος si apparuerit, amentiam φρενῖτιδά ue insinuat. Quoniã καῦσοι feruidæ febres ex ui magna flauæ bilis originem trahũt, quę si urinam colore suo nõ tingit, argumentũ est clarissimũ bilei humoris abundantiã ascendisse, & capitis arcem cũprehendisse. Qui si in priore capitis cerebriúe parte inflãmationẽ (quã Græci φλεγμονὴν uocant, cõfecerit, potissime in ea mẽbrana quę Græce μηνίγξ appellatur, uel phrenitim, uel παραφροσύνην, hoc est, delyrium excitat. Quod si autẽ ex occasione quapiã. Verbi caussa sanguinis

in febrib.
Ancipitib.

guinis narium profluuio, ex amplo sudore capitis, urina cum albore tenuatur, mali decrementum, quietemque pro foribus esse indicio est. Nam si sub eiusmodi urinæ cōstitutiōe phrenitis diuturna sui similis esse pergit, æger ille breui superis concedet ab oris. Oportunum nunc & operæprecium puto, fuerit, ut de colorū differentijs quæ urinas tingunt, compendiosè disputemus. Et breuiter numerum earum & qualitates, & cuiusmodi cum fluore substantiaue possint cōponi, si non omnes, bonam saltem partem perstringemus.

De differentijs colorum, qui in lotij corpore cernuntur.

Lociorum alia sunt candida, alia spicea, alia aurea, alia crocea, alia rubea, alia uinea, alia passea, alia ueneta, liuida, alia nigra. Neque in hisce omnes colorum species sitæ sunt. Verū in horū medijs & submedijs, perinde ac complures essent hinc colorum species introductæ. Intra quas primum locum tenet candida, cuius latitudo in uarias species diffunditur

Candida Vrina.

funditur, quoniam intentionem & remissionem albedinis accipiunt. Sunt candidorum enim lotiorũ alia chrystallea, alia niuea, alia instar calcis, alia ueluti aqua lympida ac pura. Glacies em̃ christallusue & nix & calx & aqua, alborem quidem præ se ferunt, sed non supremam albedinem nacta sunt. A summa nanq; albedine remissus color existit lacteus, ita uocatus, quod similis est lacti, Qui bonitate præstat aqueum & chrystalleum, deinde albedo glauci ab hoc tantum recessit (sequitur enim lacteum glaucus) quantum χαροπὸς hoc est rauus & blandus color, remisit alborem glauci. Nam glaucũ existit instar cornu attenuati perspicuum, siue transparens modo ceratoidis idest corneæ, ut uulgo adpellant tunicæ. Rauum autem (quod χαροπὸν medicorum scolæ adpellant) simile est uelleribus subalbicantibus cameli, uel ungui lapillo ita nuncupato qui onychites, & à quibusdam enychinus uocatur.

Hæc itaque colorum genera qualitate

secun

ſecundum intenſionem & remiſſionem ceu diximus in lotio candida conſpiciũtur, & concoctionis functionem iacere ſignificant.

Vbi uero candida tincturam aliquam bilis lotia capiunt, haud paruo à cruditate ſecedentia in prima ratione ſub ſpiceæ cernuntur, ita quidem ut ſpeciem perſimilẽ bili infuſæ liquori claro, puta aquæ ac mediocriter decoctæ, uel apozematis ſemicrudæ carnis imaginem præferant. Deinde ſi coquendi uirtus ſuo munere ad tempus fungi proſequatur, tincturã magis intendens lotium ſpicei coloris exhibet (quem & palearem uulgo nuncupant) ſignificans bilem probius decoctã dilutum lotium ſuſcepiſſe, & tinctura inde intenſiore imbutum. Quam utranq; urinæ ſpeciem hac comparatione dilucidius accipe. Si malicorij liquoris, uel cytini decocti, uel id genus ſpicei humoris alicuius (nolo enim de ſuccis perſimilibus cõtendere) expreſſi parũ ſucco alicui lympido, ut aqua, inieceris colorem ſub ſpiceum reddes. Sin amplius ex eodem addide

addideris, colorem ſpiceũ induces, quorum alter ab altero nomenclaturam ſortitur. Poſtquam inde concoctio proceſſerit, tum tinctura liberalius color abit ſpiceum, atq; ſubrufa, ſiue ſubaurea (quæ omnium temperatiſſima ſunt) lotia gignũtur: Auro Celtico nõ uſquequaq; puto pſimilia. Hoccine ſuccedit lotiũ aureũ, fuluũ adpellatum ac igneum ſonoro, potius, puroq; puto auro ſimile. Poſt hæc ſubcrocei coloris lotium ſequitur, quod cartamum quem Græci κνίκον dicunt refert, qui colore inferior croco eſt. Deinde exacte croceum quod nihil differre à uero croco uidetur. Succedunt memoratis ὑπέρυθρα hoc eſt ſubrubea & ἐρυθρὰ deſt rubei coloris lotia. Quorum illa ſanguẽ dilutum repræſentant, ueluti ex candido colore accedente fulgore, cuiuſmodi infectores flammeum nuncupant, qui lapidi Armenio ſimilis color eſt. Et à Galeſane phœnicos, id eſt, palmeus, uocatur, eo quod palmulis permaturis ſimilis ſit, qui dactyli dicuntur. Atq; adhunc modum alij atq; alij, dempto uel addito co

lore

lore fiunt. Rubeum uero similem cogitaueris puro sanguini et sincero excedēs nãq; aut deficiens nō sanū sed illegitimū esse reputa. Vineum porrho lotium post memorata collocatur. Quod nomen accepit à uino, quàm rubrum est, nigriore, etiam apud Græcos, ὄινοψ enim uinum nigrius huic genti adpellat̄, quod ea urina nigri uini faciem præferre significat etiam Homero, apud quem non semel legitur ἐπ' ὄινοπα πόντον Vel colore purpurei sanguinis, & instar iocinoris. Proinde id extum sæpius, uinumq; uineum inspicere expedit, atq; inde eiusmodi urinæ colorem considerare. Venetus porrhò uel cœruleus color tanquã tabidus sanguis existit ex bili flaua, seu ualde adusta, & instar; gari & lotij Regio morbo, quem & arquatum dicunt, implicitorum, similis. Cæterum (ut summatim dicam) de Veneto colore ita habet: Venetus Galenis (libro de symptωmatū differētijs quarto. definitiōe, color est, ubi cãdor splendori iunctus non ita parum in atrum degenerat. (Fit enim is quando purum al-

Fuscus

viridis

Liuidus.

bum, & nigrum æqua ratione confun duntur, Verbi caussa, si cerussa cum pice æquis ponderibus permisceatur.) Fuscus uerò Phœnicos, idem ait, color, ex albo nigroq; cōmixtis gignitur, uelut ficuum atrarum cū exaruerunt. Viridis præterea color, quē χλωρὸν Græci, Latini Porracinum & prasinum quandoq; uocant, plures species habet, quoniam alius est, ut qui in folijs brassicæ: Alius ut qui in folijs graminis: Alius, ut in folijs uiolæ herbæ: Alius, ut qui in smaragdo, qui Margarodes uocatur & smargarodes, quæ singula colore sunt uiridi secūdum intensionem & remissionem, ita quidē ut inde ob excessum caloris adpellationem sumpserint, & á caliditate proueniunt cuncta uiridia.) Liuidus præterea urinæ color phœnio obscurior est, quem si quis plumbi colorem dixerit rem acu tetigerit. Is certe tantū uersus nigrum inclinauit, quantum à colore cæruleo recessit. Cuiusmodi sint coloris uibices luridæ ex uerberibus corpori citra uulnus inflictæ, & explosu flacescentes. Generatur

tur autem hic quum ex frigore, tum ex plaga. Quin & quandoq; non tam algoris, quàm ardoris indicium est. Si uiridẽ succedit, calorem, Sin pallidum frigiditatem portendit. Niger postremo color nemini (ut arbitror) non euidens est: nam reliquos anteit, neq; ueluti cæteri quoq; latitudine uacat, quoniam more aliorũ intenditur & remittitur. Oportet autem uirum huic rei indulgẽtem memoratos colores perpendere: & in numerato omnes habere, quoniam ex his non pauca quũ indicia, tum præuidentiæ sumuntur. Quin etiam colores proprijs nominibus carentes, & si definiti non sint, secundum intensionem & remissionem, collatione ad memoratos facta, considerandi sunt. Atque ita quidem de omnibus coloribus hactenus sufficienter ex ueteribus philosophis ac medicis dictũ ac definitum existimari potest. Verumtamen hinc colorum qui explicati sunt syzigiam cum crassa & tenui substantia & quæ inde sumi debent, indicia & significationes quum in ualitudine sequum

da, tum etiam aduersa explicabimus. Quum uero de coloribus uerba facientes candidi differentias recensuerimus. Lacteum quoque & glaucum & rauum non tanquam colorum quempiã incon iugatum silentio præteribimus, quin cũ subtili substantia copulemus, & quod pariter portendat liquido indicabimus.

De tenuis substantiæ lacteiq́; & candidi coloris iudicio

LOtium tenue, lacteum, & candidũ intra febrium exordia superueniẽs pernitiosum, eo quo de febris & ægritudinis diuturnitatẽ euidẽter declarat, in uigore uerò & remittente morbo, si mul tum eiusmodi lotium appareat, male finem haud ita obscurè portendit.

De tenuis substantiæ & glauci & raui coloris lotij iudicio.

TEnuis essentiæ cum candido & lacteo colore, lotium, summam cruditatem significare ueteres medici uiri sapientes uno ore omnes docuerunt. Colores uerò etiã cæteri quicũq; albedini ꝓpius accedunt, coquendi uirtutẽ pariter

iacere

iacere, & naturalis caloris imbecillitatē arguunt. Calidi enim eſt, urinam colora tiorem reddere. Haud etenim ab inſito naturaliq; calore, colores inficiuntur, & proinde tenuis color cruditatē exprimit.

De tenuis ſubſtantiæ, ſpicei & ſubſpicei coloris lotij iudicio.

COncoctricem facultatem munus ſuum aggredi docet, urina tenuis, ſpicea & ſubſpicea, Calor nāq; naturalis adhuc imbecillior exiſtens, quàm ut poſſit ſubſtantiam urinæ contumatius renitentem & craſſam facere. Colorem autē non adeò contumacem, ſed procliuiorē facilè intra cōcoctionis primum aggreſſum alterat

De tenuis eſſentiæ ſubfului, fuluiq; coloris lotij iudicio.

SVbtilis eſſentia ſubaureus, aureusq; urinæ color, (quem alij ſubrutilum & rutilum uocant) ſuperioribus eſt præſtantior ac melior. Indicat autem inſitū corporis calorem ad ſe rediiſſe uiresq; ſuas recuperaſſe, quoniam urinam non parum coloratiorem reddit. Tenuis autē

permanet eo, quod nõdum tãtum habet uirium ut contumacem renitentẽ ſubſtã tiã momẽto in craſſam permutet, & ob id quoque urinam crudam adpellamus. Quãdo eiuſmodi lotium in Aqua inter cutem ſuperuenit, ſonticum habetur, & periculoſum. ueluti quum dilutum & aqueum planè ſalutare.

De tenuis eſſentiæ, ſubcrocei uerò & crocei coloris lotij iudicio.

EST præterea lotiũ cum tenui eſſentia ſubcroceum & croceum, Græci ὑπόξανθον & ξανθὸν dicunt, hoc eſt, flauum & ſubflauum. Quæ ſubſtantia cruditatem, coloribus uerò non naturæ modo exceſſum, uerũ materiæ quoque penuriam oſtendunt. Nam quum adoleſcentum quiſpiam cibis defraudatus, inedia laborat, & naturæ & ætatis ratione lotia flaua & ſubflaua conſpiciunt, propterea quod caloris plurimum habẽt innati, qui tum intimius præter naturam abundans, bilis nimietatem parit, quoniam ardore immodico haud difficulter alteratur in bilem ſanguis, præſertim quũ

in

in tempore æstiuo diuturnior perennat inædia, in quo frequenter innumeræ febres fermè corripiunt. Atq; inde quidē lotia subflauo flauoq; colore tinguntur. Ex uigilijs præterea, solicitudinibusq; et laboribus flauæ rubeæue urinæ redduntur. Sic utique de tenuis substantiæ lotij cōplexu, & quibus cum coloribus iungi possit, sufficienter dictū esse existimo. Restat, ut de ijsdem in hunc modum perspicuitatis gratia transigam & ob oculos tanquam in tabula ponam.

Tenuis urinæ cuncti colores.

Tenue lotium potest esse cum colore candido.

Tenuis urina existit quādoq; cum colore lacteo.

Tenuis urina glauco cum colore nōnunquam conspicitur.

Tenuis urina colore interdū est rauo,

Eiusdem essentiæ lotium subflauū, & ut paucis dicam,

Tenue lotium flauum

Tenue lotium spiceum

Tenue lotium subspiceum

Tenue lotium subfuluum,
Tenue lotium fuluum.

De lotij coloribus cum crassa substantia & eius indicijs Caput VI.

QVandoquidem tenuis essentiæ lotij, quibus cũ coloribus possit connecti, satis superq;, ut uidetur, hactenus mentionem fecimus, iudiciaq; eiusdem curiosius explicauimus, oportunũ, nũc uidetur, de crassa quoque substantia, quæ cum quibus coloribus queat infici, transigere ac persequi.

De crasso cum niueo colore lotio,

VRina crassa & & candida plurimũ crudi humoris in uasis redundare, ostẽdit & multiplicẽ pituitã. Verbi gratia: Vitreã, salsam, & omnis qualitatis expertem. Id genus lotij crassum substãtia, multum quãtitate, candidum colore, in morbis ancipitibus abscessus articulorũ discutit, non tam prius his languentibus quàm eos qui utcunq; iam malo tenentur, & qui in magna ui crassorum humorum inueterauerunt.

De

De crassæ substantiæ & lactei co loris lotij iudicio.

CRassa porrhò urinæ substantia cũ lacteo colore non raro conspicit. Quæ si in decremento finéue morbi superuenerit, calculum, nunc uesicæ, tunc renum ostendit.

De lotij crassæ substantiæ & raui, glaucíq; coloris iudicio.

LOtium crassum colore χάροπον, quẽ blandum quidam interpretantur siue cæruleum, si neutiquã perturbatur, cõplures id genus humoris corpus occupasse, & langorem pernitiosum undiq; perfusum, significat. Quũ uerò lotium turbulentum, quale iumentorũ est, redditur, capitis dolorem uel adesse, uel aduenturum breui, ostendit. Qui autem id cospicitur, si turbulentum iam quoquo modo sit, & resistens igni admotum clarescat, bullæ enim in sũma superficie lotio calfacto natant. Vel urina quoquomodo, perturbata fuerit, aut deuoluitur extrinsecus, calorem, bullasq; in summa cute fore significat. Alioqui eiusmodi

crassum lotium frustulosum, nõ multũ, si cum febre spectatur, non bonum, sed multitudo ueniẽs ex his, tenue prodest, & febris discessionem declarat.

De crassæ substantiæ subrubeiq; coloris lotij iudicio

POst hasce urinas subrubea quoq; cum crassa substantia sæpe conspicitur, & si sedimentum fuerit eiusmodi morbum diuturniorẽ quidem, sed à periculo immunem & non incurabilem ostendit.

De crassi, rubeiq; coloris lotij iudicio

LOtium cum crassa substantia, rubeum quoque interdum cernit. Portendit autem sanguinis magnam uim in corpore dominari, ueluti in febre continua, & in ancipitibus cunctis. Huiusmodi uero lotium si paulatim exit, sonticũ est, nunquam etenim non periculum denunciat. Comparietiam modo & id genus lotium, si in huiusmodi febribus turbulentum reddatur, cum surditate & dolore capitis, colli item & iliorum (quæ

ὑπ χόνδρια

ὑποχόνδρια Græci dicunt) Laborantem regio morbo corripi ante diem ſeptimum demonſtrat.

De craſſæ eſſentiæ, uineiq; coloris lotij iudicio Caput.

CRaſſa pariter et οἰνωπὴ (id eſt, uini faciē habens ad atrū tendentis,) urina ſi in febris æſtuoſæ (Græci καῦσον appellāt) capitis doloribus emingitur, uel decretoriū iam exiſterè, uel pro foribus id eſſe inſinuat.

De craßi & ueneti coloris lotij iudicio

LOtium præterea cum craſſitudine ſæpius ueneto colore exiſtit. Si id à conualeſcentibus meijtur meatuum angorem præſeferunt, uel hominem ſtrenue plurimum cucurriſſe, & malorum liberationem. Si in ſenibus huiuſmodi lotium effluat, idq; tempore multo, urinæ ueſicam ex prauis humoribus à naturali conſtitutione permutari plerunq;, & liberationē ut plurimū, portendit. Si in fine morbi humoris calculoſi (quē Græci morbū λιθίασιν uocant, talè reddat lotium

tiũ permutari, & urinæ ſtrangulationem ſtillicidiumq́ue eadem gens στραγγουρίαν nuncupat imminere arguit.

De craſſæ ſubſtantiæ & uiridi coloris lotij notione

LOtium ſubſtantia craſſum & colore uiride in febre nõ uacãtibus morbis, auruginem uel oſtendit præſentem uel minatur.

De lotij craßi & liuidi iudicio.

LOtium cum lurido colore craſſum in febribus non reſidens, mente captum ſignificat. Neque tamen id ſolum ſed quiddam etiam aliud, in febre nanq; cauſo eiuſmodi lotium profluens ſtranguriam futuram declarat.

De craſſæ eſſentiæ, & atri coloris lotij iudicio.

IVngitur itidem cum lotij craſſitudine nigredo, & id atram bilẽ expurgari docet, ueluti in decremẽto febris quartanæ, & liberatiõe ſolutioneq; bilis atræ. Fiũt etiã tales quãdoq; urinæ ex algore, et ſãguinei humoris toſtura. Ex eiuſmodi ſanè cauſſis dum incraſſeſcit ſubſtan

tia

tia eiusmodi colores cũ crassitudine essen
tiæ gigni manifestat. Scire autem opor-
tet, quod uera ratione, tres habent atri
lotij species crassiores, quod crassior
quàm natura ferat lotij substantia, hinc
liquidissimè constat. Nã dũ febris quar
tana soluitur, & atra bilis per lotium pro
dit, id ipsum crassius reddi et nigrius cer
tum est. Itidem quoq; quando morbus
quispiã melancholicus discutitur, & reli
qua urinã excernitur melancholiæ caus-
sa. Cæterum quum atrebilarius humor
terreus & crassus & ater sit, urinas quoq;
crassas & nigras efficit. Pari quoq; mo-
do ex tostura sanguinis, nigrior urina, ut
demonstratum est, apparet, substantiãq;
parem facit, quoniam materiã quam ex
humoribus in uasculis (hoc est, recepta
culis sanguinis) tostura haurit, collique-
factionis ratione frigus indensat, & cras
sum reddit. Portendit autem eiusmodi
lotium in febre conuulsionem ex aridita
re tosturaúe. Neque id tantum indicat,
sed in febribus ualde ancipitibus, ita e-
mans cum capitis & colli & dorsi totius
sudore

ſudore, & ſpiritus difficultate pernicioſũ eſt, ratione deuſtionis, quin & aſchma non raro portẽdit. Significat præterea in febribus acutis id genus lotium cũ graui odore & fœtido adueniens interitũ, ſi nõ ueſica laboret. Eſt uero quãdo huiuſmodi urina ſalutaris eſt, nempe in affectionibus quæ originem ab humore nigro traxerunt, quartanam enim febrim celerrimè terminat.

Epilogus proximi capitis.

QVemadmodum igitur de ſubtilis eſſentiæ lotio, & quibus id cũ coloribus poſſit imbui ac cõiungi, paucis perſtrinximus, & iudicia ac ſignificationes eorum, & cauſas ad hæc recẽſuimus, & ueluti ante conſpectũ, claritatis gratia, in deſcriptiõe quadã ſerie poſuimus, ita & quæcunque de craſſa urinæ ſubſtantia ſcitu & memoratu digna uidẽtur, & quę quos colores accipiat, & ſignificatiões, & cauſſas eorundem acurate enarrauimus & diſcuſſimus. Reliquũ eſt ut per hanc deſcriptionem quam ſubponam lectori tãnquam ex ſpeculo appareat.

Complexus

complexus crassæ substantiæ cum quibus possit subsistere coloribus.

Crassum substantiæ lotium esse potest candidum.

Crassæ substantiæ lotium est interdũ lacteum.

Crassum substantia lotium est quandoq; rauum.

Crassum lotiũ breuiter subrubrum.

Crassum lotium colore uiridi.

Crassum lotium lurido colore.

Crassum lotium, nigrum.

Crassum lotium Venetum aut cœruleum.

De mediocri urinæ substantia & quibus coloribus possit imbui. Cap. VII.

SVbstantia itaque lotij tenui crassaq; absoluta, restat, ut nunc de moderata quoq; essẽtia curiosius disputemus, et quibus colorari possit coloribus recẽsemus. Nã ea sola est secundũ naturã substantia. Cũ hac itaq; Galenus libro quẽ περὶ κρίσεων, hoc est de iudiciatorio, inscripsit, colorem subfuluum, subrutilũ, subrubeumq; consistere asserit. Magnus

uero

ro Sophista, fuluum & subfuluum, aut si uocare mauis rutilum ac subrutilum, Vos uero tantæ authoritatis uiros erroris insimulare palám aut reprehēdere religione prohibemur, quæ tamē ab utrisque horum silentio sunt præterita, haud negligenter resartiemus, & congruam mixtionem cum mediocri substantia confundemus, dicemusq́; cū media urinæ essentia cuncti colores copulantur, omissis subfuluuo & subrubeo in medio habētes fuluum. Sunt itaq; mediocris substantiæ colores, subrubeus, fuluus, & rubicundus. Sed ut id liquidius clarescat, non parergon fortasse fuerit per seriem amplius hæc in huiusmodi descriptione aperuisse.

Moderatæ essentiæ complexus quibus cum coloribus subsistat.

Moderatum lotium subrubeum.
Moderatum lotium fuluum
Moderatum lotium rubicundum.

De eo quod residet in lotio à Græcis ὑπόστασις à Rhomanis sedimentū appellatū, Cap. VIII.

VBi uero oratio de his quæ hactenus memorauimus neutiquam, ut

ut uidetur, absurde & sufficienter facta est, & habita est haud negligens ordinis in his describendi ratio, & formula qua dam liquidè cuncta ob oculos huius disciplinæ studiosis posuimus. Nunc ea contenta quæ in fundum matulæ descẽdunt, quæ Græci ὑποστάσεις, hoc est, subiecta, ἀπὸ τοῦ ὑφίστασθαι, hoc est, subijci, uocauere, explicemus, docẽtes quæ frugi sit hypostasis. & quæ ab hac præter naturã incensionem remissionemùe præse ferat, significataq; aperiemus, quæ sontica discrimen portendant sedimina, & quę minus periculi, quæ salubritatem significẽt, quum in ægris tum sanis corporibus, & quæcunq; præsagia inde sumi possunt. Hipostasimqúe & substantiæ colorũq; mixtionem ceu terminum perfectum an notabimus. Ad quæ aperiẽda, Veri, sũmi, optimiq; dei fauor adsit, ne qd quod ad rem faciat, prætermittamus.

De Hypostasi in genere.

SVmamus itaq; exordium ab Hypostasis, sic enim utendũ est positis nominibus, inculpatilis expositione. Eui-

dentius tamen & cæteris omnibus eruditius de ea Hippocrates sapientissimus medicorumq; omniũ princeps disseruit, de qua ut nihil detrahemus, ita ne tantillum quidem adijciemus. Quoniam adpositio, detractioq; preter naturam sunt. Facit igitur Diuus ac sapientiss. Hippocrates uerba, de ea quæ præter naturã nõ est Hypostasi.

De Hypostasi in specie.

LOtium itaq; secundum naturam, hoc est, inculpatile, est in quo id quod ad fundum matulæ concesserit, candidum, & leue & æquabile per tempus cunctum morbiue decursum existit. Et sane sapiens ille uir breuitatis amator & summus artifex, hunc in modum ex contento definitionem contexit, præteriens essentiam, colorem, tanquam particularia. Nos uerò in præsens quæ omissa et intacta ab eo sunt, ita sarcire conamur, ut quotquot in hũc commentariolũ inciderint, miro perfundantur gaudio, pleriq; enim deffinitionẽ mancam audientes, tanquam parum sapientem

pientem, summum autorem iudicant. Quocirca deffinitio numeris omnibus absoluta lotij secundum naturam est huiusmodi.

Quæ exacta sit Hypostaseos diffinitio.

LOtium optimum est & inculpabile in quo contentum matulæ fundum petẽs, (à Græcis ὑπόστασις, à Rhomanis sedimen & subiectum adpellatum) colore album, leue præterea & æquabile per uniuersum morbi tẽpus residet, substantiæ uerò non diffugit moderationẽ, colorem fuluum et subfuluũ cum perexigua rubedine coniunctum, præferens. Quoniam autem deffinitio hunc in modum absoluitur, Consequẽs est in lotio quatuor hæc considerare: Sedimentum, colorem, essentiam, & tempus. Cæterũ cuiusmodi singula in singulis esse cõueniat, ordine explicabimus.

Quæ nam Hypostasis inculpata sit secundũ naturam, & quibus conditionibus prædita.

HYpostasis itaque naturalis colore alba est, & inferiorẽ quidem, sed

inculpabilem locum occupat, (hoc est, neq; matulæ fundum attingit, neq; separatur multũ ab eo,) leuis præterea, & cõtinua, & æquabilis, plusculos ita dies pmanens. Nam id uerẽ est ęquale per tempus seruatum. Si quæ igitur Hyppostasis unam aut alterã ex quatuor hisce cõditionibus nõ habuerit, uel in diuersum conuertat hanc minime naturalem censeto. Cæterum perinde atq; iam pridem formulam aut compositionem substantiarum colorumq; concinnauimus, ita et hic quoq; cuncta, quæ obseruanda sunt, cum Hypostasi componere conabimur. Fiat autem postremo quod in Hypostasi perpendẽdum uenit, æquabilis uidelicet metamorphosis in contrarium, reliquis immutatis persistentibus, ultimum etiã inæquale.

Hypostasis candidæ, continuæ & inæqualis iudicia significationesue.

SEdimentum album, continuum & inæquale concoquendi uirtutẽ deiectam significat. Interdum etenim usq; adeò debilitatur ea, ut satis nõ ualeat cõ-

coquere

coquere natura, sed crudum quidpiam relinquit, propter ea quod nõ perpetua fiat singulis diebus concoctio, sed nunc quidem decocta, nũc uerò cruda Hypostasis. Rursum fiat & continui transformatio, ita quidem, ut utraq; hæc in unũ conuertantur, adeò ut Hypostasis sit neque continua, neq; æquabilis.

Hypostasis candidæ, non continuæ & æqualis iudicium

CAndidum sedimẽtum discretum, ampliorem cruditatem præfert, & in coctrice facultate deficientibus duobus: neq; enim æquabilitas tantum, sed & leuitas quoq; amissa est, adeo ut Hypostasis præterquam quod inæqualis uidetur, diuulsa quoque conspicitur. Cæterum continuam Hypostasim flatuosi spiritus intersecant & diuellunt, crassitudinis indigi & æqualitatẽ disrumpentes Hisce Itaque rationibus cætera subiecti portio utrisq; his crudior quàm ex uno horum, necessariò conficitur. Mutemus uero denuo quod concessum principio est.

De Hypostaſeos albæ non continuæ & æqualis iudicium.

EST præterea lotium, non leuem, ſed diſiectam & æquabilem habēs conſtitutionem. Cuius ſortis lotium perniſioſum cenſeo, quoniā multos ſpiritus quibus nequit natura euaporationis tantum conciliare, ut digerant, declarat.

Hypoſtaſeos candidæ non continuæ nō æqualis notiones iudiciaq́;.

PORrhò lotium nonnunquam diuulſum redditur, & inæquabile, & ſuperiore ſalubrius eſt, eo quod nō ꝑpetim indies diſpergatur ueluti æquabile, ſed interdum tamen diſſipetur, interdum uerò minime, atq; ob id quidē minus eſſe flatus qui cōtinuitatē diuellat ac diſtrahat. Idipſum in arteriarū deficientis percuſſus exemplo declarabimus. Nam ſi is multis diebus eundem tenorem mordicus obſeruarit, magis ſonticū eſt, quàm ſi diebus ſingulis alteretur. Hoc enī erit inæquale. Præſtat itaq; (quod horrendū auditu uidetur) lotium, Hypoſtaſim eſſe diuulſam & inæqualem, quàm non continuam

tinuam & æquabilem.

De Enæorematis quod est sublationibus, & primitus quid continuũ enæorema significet Caput IX.

EA igitur contenta quæ in matulæ fundum descendũt Hypostases dicuntur, eam cãdido colore esse expedit. Si eadem proprium locum prætermiserint, & ad medium totius matulæ cõcesserint, adpellãtur Græce ἐναιωρήματα, hoc est sublimia, siue dicas sublationes, ἀπὸ τῦ ἐναιωρεῖν, id est, ab elatione, pendẽdóue, quasi æquo spacio ab utrisq; extremis secederẽt. Est uero & ipsum quoq; Enæorema continuum & æquabile. Illud enĩ sui crudiusculum adhuc non potuit à natura exacte concoqui, ut ad infernum locum secederet. Hoc concoctum quidem sed flatulentis cuiuspiam spiritus participatione incidentis contentum in medium matulæ locum effertur.

De nubibus quæ natant in urina & primitus candidæ nubis, continuæ & æqualis notiones. Caput. X.

QVæcunq; autem contēta ad summam usq; urinæ superficiem peruenerunt, νεφέλη hoc est nubes, uocauere, qui circa hasce res prudentes fueru nt. Sumpta tralatione à nubibus, qd' quē admodū nubes á terra summe secedunt, ita & hæc contēta à fundo matulæ (quod illi terræ proportioni respondere putaue runt) in summā urinæ superficiē, ultra mediam regionem ex multo spiritu impulsa, ascendūt, et eodem in loco hærēt. Cæterum nubes albo colore & spumo sa supremā locī sedē in febribus ancipiti bus intercursans bileum humorem portendit. Si in synocha febri albun lo tium nubes spumosas habeat, uald: exi tiosum. Ilia enim (quæ ὑποχόνδρια dicun tur) dextra doloribus affici notat Si in Causo, hoc est in febre ardente, btium nubes atræ occupant, in quartarā febrē transire declarat, Sin uero neq; flatus neq; spiritus infernum matulæ locum fundum

fundumq; petit, & exactum coquendi officium secundum naturam absolui denunciat. Vocatq;, ceu dictũ est, ὑποστάσις, qua infernam habitudinem significant. Cæterum quæcunq; de hypostasi, item & de Enæoremate memorata sunt eadẽ & de nube dicta putato. Vocantur autẽ hæc omnia communi & generali nomine περυφισάμενα, hoc est, contenta, & solo situ dissidẽt. Liquet igitur cur de hoc loco non fusius ac amplius, quàm significata seu notiones tradam. Alteratur autem albus color quandoq; ex hypostasi in nigrum.

De colore nigro & significationibus suis Cap.

Nigredo contentorum semper quidem mala, sed in nebula minus prauũ. In enæoremete grandius malum, in hypostasi pessimum est indicium.

Albæ nubis non continuæ & inæqualis iudicia.

COmpari quoque modo de contentis habet candidis, nam si candida, disiecta & æquabilis fuerit habitudo inferna, (qđ sedimentũ est) non malũ

Si nubes candida melius, si enæorema sit candidum, euidentius, & præsentius bonum. Hippocrates quoque infit, Nubeculæ in lotio suspensæ albæ quidem bone, nigræ uero malæ sunt. Atque ex his sane satis dictum esse de trium contentorum situ existimari potest.

Habitudinis in urina infernæ, hoc est hypostaseos coloris aspectus significationes

QVoniam autem de tempore, substãtia, locóque determinauimus, nõ fuerit parergon, imò operæprecium, de coloribus deinceps per seriem transigere. Existit uero ceu diximus naturalis sedimenti color candidus, non naturalis niger, uel liuidus, uel spiceus uel subfuluus, uel rubeus, uel uiridis.

Hypostasis rubeæ, subfuluæq; iudicia & notiones.

HYpostasis proinde subrubea à sanguine diluto, ueluti supra docuimus, originẽ trahit, & cruditatẽ quidem portendit, uerũ non lethalẽ. Rubea uero hypostasis à syncæro sanguine proficiscitur

ciſcitur et exactũ ſignificat cõcoctionis officium, quæ ubi moderata fuerit, hoc eſt, neq; abundãs, neq; deficiens & indiga, omni diſcrimine uacat. Quocirca quum hypoſtaſis ſubrubea materiæ familiaris ſit, nihil infert periculi. Materia autem qui aqueus ſanguis eſt, proxima ſanguini exiſtit, atq; ob id amica corpori, quare non multum obeſſe poteſt, ut diximus, homini. Cæterũ quod cruditatem quandam indicat, tempus ob id concoctionis expectandum eſt. Quod ſanè, ut res clamitat, humorum tempus ſuccedit, quoniã ei ante ſanguinem gignuntur, uerbi cauſſa, pituita & liquor. Poſt ſanguinem uero bilis utraq;. Syncæri uero ſanguinis generatio in medio utrorúmque exiſtit Quotíes itaque ſubrubeũ eſt lotium, colorem hunc ſumi à diluto ſanguine oſtenditur. Dilutum uero ſanguen & aqueũ ſemper ante ſyncerum ſanguen naſcitur, atq; ob id cruditatem & coquendi munus mancũ aut debile declarat. Natura enim ſanguine inchoato urinam aqueo colore inficit,

cit. liquet igitur, quod diximus, sanguinem esse illum subcrudum & incoctum Tempore itaq; natura opus habet ad sãguen dilutum coquendum. Rubea uero hypostasis iudicatoriũ diem fore septimo portendit. Nam si quarto die supremo loco nubeculam habuerit lotiũ rubeam, unà cum cæteris concoctionis indicijs, perspicuũ est die septimo morbũ iudicari, unde Hippocrates: Quibus septima iudicatur, his nubeculam habet quarta die rubeã, & alia ex ratione. Hactenus igitur de subrubri coloris rubeiq; significatione satis sit.

Hypostasis liuidæ iudicium

SEdimentum locij coloris luridi, caloris, uirtutisque extinctionẽ significat. Præterea in febribus ancipitibus liuida urinæ hypostasis superueniẽtis die periculum denunciat.

Hypostasis uiridis iudicium.

VIride lotij sedimentum feruorem immensum, & cacohecticã ægrimoniam portendit.

Hyposta=

Hypostasis nigræ iudicium.

SEdimentum subnigrum ab absoluto nigrore non nihil deficiat. Prædicit autem id si plurimum ad mediũ locum tendit, & enæorematis nomen accipit, in febre feruente (quam καῦσον Græci dicunt) dementiam, & omne genus sanguinis fluores, commitante magna ex parte iudicio, quæ κρίσιν Græce uocatur, non citra rigorem sudoremq́;

Hypostasis atri coloris iudicium.

VRinæ Hypostasis atra ut pluripha riam, ita & diuersam significationem habet. Est etenim quando algoris, & est quando ardoris indiciũ est, de qua re in hunc breuiter modum disputabimus: Quod si sedimentum, quod subiectũ est, de quo hic agimus, nigrum antecessit, liuidum fuerit, & nigredinem acceperit, frigiditatem subesse significat. Sin autem Hypostasis uiridis præcesserit, & ater eius cõtenti color sequutus sit, dubio procul ex calore id factum ducito.

De Hypoſtaſi crudi humoris

CAndidus color perpetuo inculpatę ὑποστάσεως indicium eſſe creditur. Vbi ſciendum eſt, quod color non raro imponit artifici, quantũ uis ſolerti. Quũ uidelicet crudus humor in habitudine, quæ Hypoſtaſis eſt, inferna, albus conſpicitur, & boni ſediminis ſpeciem præfert, quum non ſit, tum candore decipit artifex bonam Hypoſtaſim iudicãs. Cæterum id odore à naſuto pulchre deprehenditur grauio lentem enim odorem, ac fœtidum emittit. Quin & lumbi hulceribus impetiti, ueſica item et iecur, uel alia quędam pars, dum per lotiũ expurgatur, purulentum quidpiam eĳciunt. Affirmante idipſum Hippocrate, libro ſententiarum quarto. Si qs ſanguinẽ, inquit, uel pus minxerit, uel lũbi uel renes uel ueſica hulcerata ſunt. Et rurſum. Quibus in urinaria fiſtula, quę οὐρήθρα uocatur, tubercula gignuntur, ſi ſuppurẽt & prorumpant, mali ſolutio fit.

De hypoſtaſi crudi humoris fuſius.

NEque latere quempiã poteſt, q̃d per eundem urinariũ meatum in-

terdum ſanies emingitur. Cæterum crudus ille humor ex inæquabilitate eſſentiæ Hypoſtaſeos dijudicari poteſt, quoniam crudi humoris ſedimentum ſemp̃ diſiectum cernit, & ſabuloſum eſt. Horum uerò ideo facta eſt mẽtio, ne medico color imponat, ſed admonitus is ſtudeat ueram Hypoſtaſim à ſanie, crudoq́ humore diſcernere. Memineritq́, ſi quiſpiam ſanguinem aut pus mingat, aut ſquammas, malusq́ & grauis odor inſit, uel lumborum, uel renum, uel ueſicæ exhulcerationem ſignificare. Et ſi harenoſa in lotio ſubſiſtãt, idq́ diutulẽ, ueſicam aut renes calculo laborare. Quatuor igitur hactenus Hypoſtaſis differentias, Colorẽ, regionẽ, ſubſtantiã & tẽpus, cõpendioſe explicauimus. Reliquũ eſt ut eadẽ, q̃tuor partibus ſubſcripta formula ante oculos ad hũc modũ ponamus.

Complexus candidi lotij cum ſedimentis.

Candidum lotij ſedimentum, continuum & æquabile.

Candidum lotij ſedimentum, continuum

uum & inæquabile

Candidum lotij sedimentũ, disiectũ & æquabile

Candidum lotij sedimentum, diuulsũ & inæquabile.

Istæ igitur sunt quatuor sedimẽti in formula tanquam in tabula propositæ species. Cæterũ ut altitudo corporis urinæ trifariam dispescitur, in fundum scilicet, superficiem, & utrarumq; extremitatũ medium, ita & contentorum (quæ Græcè παρυστάμενα dicũtur.) quoque treis loco esse docuimus, Ea quę contenta quæ ad imam regionem matulæ concesserunt diximus ὑποστάσεις uocari, quæ uero ad totius altitudinis ab utrisq; pari spacio peruenerunt medium ἐναιωρήματα: Quæ autẽ ad supremam usq; regionem concesserunt, νεφέλη adpellari. Singularum adhæc rationes, ob quas uidelicet huiusmodi regiones occupant, & quid portendant quidq; indicent. Et ut eius quæ ad matulæ fundum concessit descriptionem, & differẽtias denique, retulimus, ita & sublimiorum quoque (Græcis ἐναιωρήματα uocata

cata) diſſidentes ſpecies hac formula tã-
q̃ ex ſpeculo refractas elucere uolumus.
Enæorema, hoc eſt ſublatio, candidũ
continuum & æquabile.
Enæorema candidum continuum &
inæquale.
Enæorema candidum diſiectum &
æquabile.
Enæorema candidum diſiectum &
inæquabile
Hę ſunt ergo Enæorematis ſpeciales dif
ferentiæ, quas hic tanquã in tabula pro
poſuimus. Procedenti uero ſermone iu
dicia & præuidentias uniuscuiuſque dif
ferentiæ exponemus. Nunc uero & ter
tiæ quoque contentorum ſpeciei, quæ
ad ſupremam lotij regionem peruenit,
& nubecula uocatur, ſeu nebula, diffe-
rentias proſequemur, quidq́ue porten-
dant ſingulæ ſilentio non prætereuntes.
Eſt autem eius deſcriptio talis.
Nubecula candida, continua, æqualis.
Nubecula candida, continua, inæqua
lis
Nubecula candida, diuulſa, æqualis

Nubecula candida diuulsa inæqualis. Trium itaq; παρυφισαμένων differentias breui quidem sed absoluto sermone enumerauimus, et formulis quasi descripsimus, Nūc de cæteris ad hanc disciplinā necessarijs transigamus.

De lotij diuersitate à corporeæ molis partibus.

TRia sunt quæ hominis corpusculū cōstituunt, spiritus uidelicet, humores & solidæ partes. Humida autē ex quibus humanum corpus cōstat, humores sunt & eorundē περιττώματα. Cæterū super his quæ putrefactis humoribus iniunguntur, nihil quod referre oporteat relictū esse autumno. Quocirca in præsentiarū, ut de urinis exactā disputationē reddamus, quæcūq; ex solidis partibus per urinas effluūt, singula perstringemus. Enimuero potiores quædam earū partiū, nōnunquam eliquantur & olei substantiā induunt, uel aliam id genus ideam æmulant. Quū igitur adeps & caro solidarū partium liquidiora & molliora existāt, adipem quidē imprimis ut omniū solidarum partium mollissimam

& ad ſoluendũ præ cæteris, multò magis idoneum, mox etiam carnem, reſoluit. Adipem itaq; liquefactã calor præter naturã in olei eſſentiã pmutat. Quia uero eiuſdẽ nõ ſtatim quãta quãta eſt fit cumulatim colliquefactio, uerum initium quoddã reſolutionis, incrementũ itẽ & temporũ ſummũ uigorem habet, nõ fuerit fortaſſe parergon clariorem eius cognitionem facere.

De iudicio, & differentijs urinarum oleacearũ.

LOtij oleacei trinæ ſũt ſpecies, quarum quælibet proprio nomine gaudet, ſiquidẽ inprincipio, quũ olei colorem præferũt quidem, ſed nondũ exacte eo colore tincta ſunt lotia, ea præſentatur ſpecies quæ oleicolora dicitur quũ exiguũ pinguis liquefactum eſt. In augmento uero ſpectatur oleapparens, quod olei faciem præſeferat, quũ liquefactio iam maius ſpaciũ occupauit. Vbi uero adeps pinguéue iam exacte colliquatũ fuerit, lotia colorem oleaceũ exhibẽt, uocantq; huiuſmodi urinæ oleaceæ. Proinde olei colorẽ repreſentãtes urinæ

dilutę & quasi aqueæ, colliquationisq́ pinguedinis principiũ declarant. Quæ uero incremento temporis olei instar apparent, exactiorẽ habent olei ad urinam cõmixtionẽ. Oleaceæ uero uocatæ quæ in summo, manente ægritudine, cõspiciunt & colore & substanita oleum referunt. Lotium in febre oleaceum nigro tinctũ, incensionem & adulterinã caliditatem ex cõuulsione, interitũq́ ostendit. Atque ut sumatim expediam, memoratæ urinæ, quãdoque liquefactũ pingue totius corporis, quandoque renũ tantũ modo, significant. Nã si paulatim huiusmodi color processerit, ita ut multo tempore eiusmodi oleacei colores cõfirmentur, febris per uniuersũ corpus diffusa, sin breui, & cumulatim ijdem cõspiciantur, solorũ renum affectio demonstrat. Cuius utique rei euidens argumẽtũ est, uehemens præsentis status caliditas. Illo namque modo calor in toto corpore, sẽtitur, hoc uero, in renibus solis excitatur. Incõfesso enim est, quod pinguedo in multas partes diffundit, uel enim lumbos

bos inuoluit & totos quasi operit, uel in cunctas corporis partes diffunditur. Ea ueroque circa renes est lumbosùe pinguedine colliquata, & per lotiũ exeũte, magis cumulatim prorũpit, quã id quod in uniuerso corpore existit pingue, quoniã illa haud longè ab urinarijs meatib9, hoc uero ab his eminus cõsistat. Hippocrates uero Chous id nauiter & scitè perpendit, quũ in libro sententiarũ ita pdidit; Quorũcunq; lotio pingue multum et coactũ sedimentũ inest, ijs renum mala & grauia fore portendit. Indicium satis præclarũ pingue lumborũ collique fieri. Atq; alibi: Lotium in febre feruida sedimentũ pingue habens, interitũ demonstrat: Quod si absque febre in senibus eiusmodi cõpareat, παραπληξίην, hoc est, mẽbri cuiuspiam solutionẽ. Atque hoc pacto, quisque memorata considerãs, urinas oleaceas ex colliquatiõe pinguis factas iudicare satis ualuerit, proinde de his receptui canentes, par est, ut de reliquis, quę æquè ad hanc disciplinã faciunt disputemus.

De hypoſtaſi orobea eruaceáue.

DEpaſto iam corporis pingui, reliqua quoque caro eliqueſcit, & erui inſtar globoſa excernũtur in lotio ſedimenta, atque duo ſignificãt, aut em̃ renum, aut totius corporis langorem: ſi cõcoctũ fuerit lotiũ, & eruoſæ ſint hypoſtaſes, morbũ renũ: Sin incoctũ, totius corporis malum portenditur.

De Hypoſtaſi laminea, folioſáue.

PRoinde quũ ſolidæ ac rigidæ corporis partes contineant in ſeipſis lon gum, latũ & altum, quæcunque euidentiora fruſtula ab hiſce cũ latitudine, et lõgitudine (nam nõ adeò euidentẽ habẽt altitudinem) abſciſſa diſſultant, aut ſuperficie tenus abradunt̃, & laminarum (quæ Græci πέταλα dicitur) inſtar in lotio cõſpiciuntur, ueſicæ uitiũ ſignificãt, atque inde nomenclaturã ſortiunt̃ πεταλώδεις, id eſt laminę, quod πετάλοις hoc eſt lamini, quæ ex tritico friato excoriant̃, ſimiles uideantur. Cæterũ iuxta præfatã rationẽ ex lumbis quoque eiuſmodi laminarũ ſpecies abſcinduntur. Nã ſi quis

laboret

laboret febre & lotiũ lamineam sortiatur essentiã, uniuersum affici corpus cõiectare oportet. Quæ ab hectica febre nõ incedit, si febris nõ adsit, uesicæ solius malũ subesse putato. Ablacerant & exeũt huiusmodi quoq; hypostases nõ tam si urina fuerit cõcocta quã inconcocta. Quod si cruda fuerit, uniuersi corporis malum præmonstrat: Sin cum inculpatili cõcoctione solius uesicæ malum adesse significat.

De hypostasis furfureæ iudicio Cap.

VBi uero febris depasto pingui altius corporis receptacula corripuerit, solidiora attigerit corpora. Euidentiora quidem & crassiora, sed angustiora q̃ sint lamineæ hypostases, in urinaat scissa frustula, πιτυρώδια hoc est furfurea excernuntur: Vnde & hypostases adpellãtur furfureæ, qđ uideant similes furfuri bene moliti tritici. Ac eiusmodi sane hypostases, itidẽ ut p̃fatæ, et solius uesicæ ægritudinẽ, & uniuersi corpis malũ ostẽdũt: Nã si febris affuerit, totius corpis est malum: Sin minus, uesicæ solius, ac si lotiũ

fuerit incoctũ, morbus totius est corporis, sin crudum, solius receptaculi urinæ. Cui sentẽtiæ concinit Hippocrates. Quibus, inquiens, in lotio crasso furfuracea quædã simul emminguntur, his uesica scabie laborat.

De hypostasis præcipitis ac suspensæ similaceæ iudicio.

QVum autem febris per tria corporis interualla cõprehenderit, ꝑ longitudinem, latitudinẽ ac crassitudinem quod euadũt tales furfurum crassiorũ hypostases, adpellãturq́; κριμνώδεις, hoc est, præruptiones & ἀδρομερεστέρα q̊d magis prę rupta sonat aut similaceę hypostases, sortito noĩe à simila, quod instar farinæ crassioris similagineę sint. Vbi nolim te latere κριμνώδεις adpellari ὑποστάσεις à crassiuscula quadã farina quã κριμνὸν Græci uocãt, Latini similam. ἀδρομερεστέρα aũt quod sectiones frumenti cum molitur uolitantes ἀδρομερῆ prisca Græcorũ lingua uocabantur. Sunt uero nihil aliud quâm ex male mollito tritico, ordeoúe cribrati furfures, nõ tenues sed crassiores et pleniores.

Cæterũ prærupta huiuſmodi duplicem ſignificationem prætendunt, uel ſolido rũ corporum uehementem ac ualidã atritionem colliquefactionẽq;, uel ſum̃am toſturam ſanguinis, ac ſi candido colore fuerit ſedimentũ, ſolidorũ eſt corporũ languor: Sin rubeo colore infectũ, ſanguinis. Cuius utiq; rei locuples teſtis eſt Hippocrates Aphoriſmorum ſeptimo, Quibuſcunq;, inquit, febricitãtibus nõ leuiter lotiũ biliosum, ſedimina ueluti farina craſſior, nõ bonũ, Itẽq;: In febribus lõgis urina cũ ſedimẽto ſimilagineo, & alijs ſalubribus indicijs concurrẽtibus, morbi diſceſſionẽ pronunciant. Item in febribus enæorema ſimilaceũ longam ægritudinem fore ſignificat. Sed hactenus de craſſioris eſſentiæ ſedaminibus quæ in lotijs apparent ſatis dictum arbitror. Nunc par eſſe uidetur, iudicia etiã urinarũ ſedimine prauatarũ declarare.

De lotiorum Hypoſtaſi carentium iudicio Caput XI.

HYpoſtaſi priuata urina tenuiſſimæ eſſentiæ & percandido colore, ob-

ſtructionē uaſorum non contemnendā, uel ingens frigus, & concoctricis potentiæ indecentē debilitatē, præſagit. Et ſi lotium in his modeſtū ſit, & hæc erunt mediocria. Atqui Hypoſtaſi ſpoliatū lotium ſpiceo colore, ſubſpiceoq́ minorem meatuū obturationē declarat, cæterum ſimilem cruditatē. Nam concoctionis excrementa contenta nō præeunte concoctione nō inconcocta eſſe non poſſunt. Aureo aūt colore et croceo citra ſedimē, lotiū, oppilationē quidem nō paruo exiliorem præferūt, ſed cruditatē obſeruāt, ueluti adulterinus calor expugnaſſet naturalem. Quin & cruciatus uehementer iſtiuſmodi lotia conſtituunt, & exercitationes acres, defectionesq́ materiæ, oblongas uigilias, & ſegnitiē deniq́ naturę. Vlterioribus tincta coloribus lotia, ipſis coloribus ſuccorum dominantium quū qualitatē, tum proprietatē demonſtrant. Quibus de ſupra ſatis dictū eſt.

De iudicio urinarum ab odore tetro Caput XII.

A Grauiter olente lotio nō una tantum notio ſumenda eſt: Siquidē à

graueolentia urinarũ est cõiectare putre dinẽ alicuius partis interioris. Grauiter olens urina, & uellicãs humorũ putredi- nem significat. Lotiũ tetri odoris, mor dax & urens, tabem denũciat. Et rursus in febribus lotiũ dilutũ & albicans & co piosum cum candidis enæorematis tetro odore, mentis uacillationem alienatio- nemúe (quam παρακοπὴν Græci uocant) cessaturã indicat. Et aliter: Lotium in fe- bribus ancipitibus crassum, atrum & graueolens, uesica non languente, inte- ritum demonstrat. Vel lotium tetrum odorem emittens, colliquefactionem & putrefactionem, naturæq; extinctio- nem, portendit. Atq; ita quidem à fœti- da urina coniectandũ. Satis nunc super talibus urinis dictũ autumo, de comple- xu deinceps transigamus.

De complexu Hypostaseos colorum & substantiæ Caput XIII.

QVandoquidẽ superius tenuis & crassæ essentiæ lotia cũ coloribus haud inscite, ut reor, cõposuimus. Nunc de cõplexu substantiæ (quẽ & fluorẽ di- cunt

cunt,) & Hypostasis, quæ cum quibus coloribus cõuenire queãt, & quid nam horũ unumquodq; presagiat, uerba facere instituimus. Vbi sciendum est, quod ubi Hypostasis fuerit substãtia crassa, ex confesso concoctionẽ exactam ostẽdit, uel immẽsam crassorũ, incoctorũq; humorũ affluentiã. Cæterũ huiusmodi sedimentũ cum tenui urinę substantia conciliari nõ potest. Copulemus itaque uno sub iugo essentiã crassiorẽ cum æquali sedimine & cum colore rubeo, & subrubeo, in cõplexum nanq; hi cruditatem præseferentes cõuenire nequeũt. Auspicabimur itaq; à colore subrubeo complexum contexere, quia hoc ab diluto sanguine, illud ab absoluto sanguine proficiscitur. Scito autẽ quod colores non nulli substantiæ ꝓfusionis cõiuncti, sedimenti quidẽ, sed imperfecti cõspectant.

Quid prætendant Hypostases crassæ, colore subrubeo, crassæ urinæ essentiæ cõiunctæ

QVum subrufo igitur colore crassa substantia, quemadmodum diximus

mus, coniungit, morbi longitudinē præsagit. Quod si cum subrufo colore lotij, subrufum sedimentū, non disiectū & æquabile copulat: Et si crassa fuerit urinæ substantia pariter & crassa Hypostasis rufa, & idem pottendit, & affluentiam sanguinis ostendit.

Quid Hypostasis crassa nigra, cum crassa urinæ essentia & nigra significet.

MEijtur & huiusmodi complexus sedimē crassum, atrum cum lotij substantia crassa & atra. Et nō tam essentia, quàm sedimine ipso ingentem uim sanguinis significat.

Quid Hypostasis atra & crassa cum crassa substantia significet.

FIt nōnunquam in lotio talis cōplexus, qui non tam essentia, quā sedimine ipso tosturam significat. Pari etiā modo substātiæ sediminisque coloris adpositi coniuncti idem declarant, siue secundum redundantiā siue defectionē, citra tñ utrorumque quū essentiæ tū Hypostasis mediocritatē: Modo colores præter naturā non sint, sed naturales. Verbi caussa, fuluus

&

& ſubfuluus, quibus cũ huiuſmodi loti um tingit, exactam concoctionem, non tam eſſentia, quã ſedimẽto, coloribusq́; præſagit.

De ſublationum cum coloribus ſuis iudicio.

QVod ſi lotium croceo apparuerit colore & ſublatio atra ſit, nulla ſpes ſalutis affulget, ſed interitus demõſtrat. Si lotiũ fuerit roſaceum (qđ redun dãtem bilem albam ſignificat) ac in me dio nigra contineatur nubecula, interitũ ſignificat: At ſi nigra non ſit, ſed aliter, ſcito toſtam eſſe bilem in uniuerſo corpore. Sed oratio ſuper urinarũ cognitione, doctrinaq́; ſatis habita, et per genera, ſpecies, ac differẽtias ſcitè admodum facta diſtributione, hoc in loco gradum ſiſtat.

Theophili de urinarum diſciplina Finis.

BASILEAE EXCVDEBAT
HENRICVS PETRVS.
MENSE MARTIO, AN.
M. D. XXXIII.



